SUMMA LOGICÆ

PARTIM

Ex optimis quibusque Autoribus tum Antiquis tum Recentioribus

COLLECTA:

Maximè autem ex usu & ad usum

COMPARATA:

Et Exemplis omnium generum abundè

ILLUSTRATA.

Præceptum nihili est, si non referatur ad usum.
Exemplis clarent præcepta atque usus eorum.

Nullius addictus jurare in verba Magistri:
Nullius at docti aspernatus verba Magistri.

LONDINI,

Typis *S. Roycroft* Ll. Typographi Regis, Impensis *R. Clavell* in Cœmeterio Divi *Pauli Londini*, *A.D.* MDCLXXXV.

Imprimatur,

C. Alſton, R.P.D. *Hen.* Epiſc. *Lond.* a Sacris Domeſti-cis.

INDEX CAPITUM.

Liber Primus.

Liber Secundus.

Index Capitum.

XXVII. *De*

Index Capitum.

LIBER

LIBERR PRIMUS

AGIT DE

Argumentis

IN

SPECIE.

Liber Primus agit de

- Logicâ, Inventione, & Argumentis in genere, — 1
- Argumentis in Specie. Quæ ſunt
  - Artificialia,
    - Prima
      - Simplicia
        - Conſentanea
          - Nominatum & Nomen, 2
          - Cauſa & Cauſatum,
            - Efficiens & Effectum, — 3
            - Materia & Materiatum, 4
            - Forma & Formatum, — 5
            - Finis & Deſtinatum, — 6
          - Subjectum & Adjunctum, 7
          - Totum & Pars, — 8
        - Diſſentanea
          - Diverſa, — 9
          - Oppoſita, ut
            - Unum uni
              - Relata, — 10
              - Adverſa, 11
              - Privantia, 12
              - Contradicentia, 13
            - Unum pluribus
              - Diſparata, 14
              - Repugnantia, 15
      - Comparata in
        - Qualitate
          - Similia, — 16
          - Diſſimilia, — 17
        - Quantitate
          - Paria, — 18
          - Imparia, — 19
    - Orta
      - Vocis
        - Nomen & Explicatio nominis, 20
        - Nomen & Diſtinctio nominis, 21
      - Rei
        - Definitum & Definitio, — 22
        - Diſtributum & Diſtributio, — 23
  - Inartificialia, Teſtatum & Teſtimonium, 24

LIBER

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Logicâ, Inventione, & Argumentis in genere.

LOgica (quæ eadem & Dialectica) est Ars bene differendi; id est, ratione utendi.

Logicæ partes duæ sunt: Inventio, & Dispositio.

Inventio est prior pars Logicæ, de inveniendis Argumentis. Aliàs dicitur Topica.

Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est. Aliàs dicitur Locus inventionis.

Quod arguitur, vicissim etiam arguit: licet in aliquibus reciprocatio arguendi obscurior sit, & minoris usûs.

Utrumque, quando arguitur, Thema; quando arguit, Argumentum propriè dicitur.

Hinc, omnia Capita Argumentorum gemina sunt, & in mutuâ relatione ad se invicem; sive sint diversorum nominum, ut Causa & Causatum, Subjectum & Adjunctum, sive ejusdem nominis, ut Dissentanea, Comparata, Conjugata.

Atque hinc, neutrum eorum sine altero esse aut concipi potest, nedum exemplum unius sine altero dari. Ambo igitur nos semper uno & eodem capite tradimus, & amborum exempla simul damus.

Notandum, Eosdem terminos, alio atque alio respectu consideratos, posse habere diversorum argumentorum affectiones. Exempli gratiâ, Dominus & Domus, possunt considerari ut Efficiens & Effectum, Cap. 3. ut Finis & Destinatum, Cap. 6. ut Subjectum & Adjunctum, eaque variorum generum, Cap. 7. ut Relata, Cap. 10. ut Comparata, eaque etiam variorum generum, Cap. 16, 17, 18, 19. ut Nomen & Notatio, Cap. 20.

CAP. II.

De Nominato & Nomine.

DE his primo loco tractandum, quia in omni dissertatione primò consideranda sunt; juxta illud vetus dictum, Πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. Et, Principium in omni disputatione & re, est Nomen.

Nominatum est Res nomine significata.

Nomen est Vox Rem significans.

Per Nominatum, sive Rem, intelligimus non solùm Ens reale, sed quicquid ullo modo mente concipitur, aut voce exprimitur.

Per Nomen, sive Vocem, intelligimus omnes partes orationis, præcipuè Nomen (à Grammaticis sic dictum) & Verbum, quod ferè semper Nomen aliquod in se continet.

Nihil autem interest, utrùm Rem mente conceptam voce aliquâ significemus, an eandem vocem aliâ voce aut aliis vocibus interpretemur: nec utrùm eâdem linguâ hoc fiat, an diversis. Omnes enim linguas lingua-

linguarumque dialectos pro unâ atque eâdem accipimus. Ideoque hujusmodi Interpretationem hîc inter Argumenta Prima censemus, non inter Orta.

Vocum (adeoque Rerum vocibus significatarum) variæ sunt distinctiones. Quarum cognitio utilis ac necessaria est ad ea quæ sequuntur explicanda atque intelligenda.

1. Vox est vel Categorematica, vel Syncategorematica, id est, vel significativa, vel consignificativa. Illa significat per se & seorsum, ut præcipuè Nomina & Verba: Hæc conjuncta cum aliis, ut pleræque voces indeclinabiles, & quædam etiam Nomina & Pronomina. Non-significativæ voces non sunt hujus loci; multò minus Inarticulatæ, & Naturales.

2. Est vel Primæ notionis sive intentionis, ut Homo, Animal; vel Secundæ, ut Genus, Species, & aliæ voces artis.

3. Est vel Finita, vel Infinita. Illa Affirmata, ut Homo: Hæc Negata, ut Non Homo.

4. Est vel Synonyma sive Univoca, vel Homonyma sive Æquivoca. Illa significat rem naturâ unam, ut Homo: Hæc, res naturâ diversas, & solo nomine congruentes, ut hæc vox [*Populus*] significat & gentem & speciem arboris.

5. Est vel Incomplexa, vel Complexa: Illa simplex & unica, ut Equus; Albedo: Hæc ex pluribus conflata, ut Equus albus, Albedo Equi.

6. Est vel Segregata, vel Aggregata. Illa sejunctæ significationis, ut Homo. Hæc collectæ significationis, ut Gens, Tribus, Civitas, Ecclesia, Exercitus, Collegium, Concilium, Familia, &c. quæ constant ex pluribus hominibus; Sic Ovis, Bos, Apis, Arbor, Stella, segregatæ voces sunt: Grex, Armentum, Examen, Sylva, Constellatio, aggregatæ sunt.

7. Eſt vel Abſtracta, vel Concreta. Illa ſignificat formam abſtractè & ſeparatim à ſubjecto, ut Humanitas, Paternitas, Regnum, Dominium, Servitus, Sacerdotium, Judicium, Vindicta, Amicitia, Vicinitas, Societas, Conjugium, Magnitudo, Juſtitia, Dulcedo, Pulchritudo, Bonitas, Actio, Peccatum: Hæc ſignificat formam in & cum ſubjecto, ut Homo, Pater, Rex, Dominus, Servus, Sacerdos, Judex, Vindex, Amicus, Vicinus, Socius, Conjux, Magnus, Juſtus, Dulcis, Pulcher, Bonus, Actor, Peccator.

8. Eſt vel Communis, vel Singularis. Illa ſignificat rem pluribus ſingularibus communem, ut Homo, Equus, Mons, Inſula, Urbs, Fluvius: Hæc ſignificat rem individuam ſub communi contentam, ut ſinguli Homines, Equi, Montes, Inſulæ, Urbes, Fluvii.

Individua pro vario exprimendi modo dicuntur vel Determinata, vel Demonſtrativa, vel ex Hypotheſi.

Determinata, ut *Alexander*, *Bucephalus*, *Olympus*, *Britannia*, *Londinum*, *Thameſis*, & omnia propria nomina.

Demonſtrativa, ut Hic homo, ille Equus, &c.

Ex hypotheſi, ut quæ ſupponuntur unica eſſe in rerum naturâ, ut Sol, Luna; Sic *Adam*, vel Homo, ante creatam *Evam*. Sic Pater alicujus, utpote qui non poteſt eſſe niſi unus. Item Frater vel Filius alicujus, ſuppoſito quòd non habet niſi unum.

Quæ autem dicuntur *Individua Vaga*, non ſunt propriè Individua ſive Singularia, ſed Communia, utpote quæ de pluribus dici poſſunt, imò de quibuſvis quæ ſub eâdem voce communi continentur, ut Aliquis homo, quidam Equus, & reliqua particularia.

Res & voces communes propriè & primariò in artibus & ſcientiis tractantur: Res & voces ſingulares ſive individuæ tractantur ſecundariò, quatenus ſcilicet conti-

continentur sub communibus. Vide Lib. 2. Cap. 3. §. *Cum autem Singularia.* Et Cap. 21. §. *De hoc Præcipuè.*

CAP. III.

De Causâ & Causato. Et primò, De Efficiente & Effecto.

Causa est, cujus vi res est.
Causatum est, quod est vi causæ.

Causa & Causatum quadruplicia sunt; 1. Efficiens & Effectum. 2. Materia & Materiatum. 3. Forma & Formatum. 4. Finis & Destinatum. *Aristot. Posterior.* lib.2. cap.11. Et *Physic.* lib.2. cap.13. Et *Metaphys.* lib. 2. cap.3. Et lib.4. cap.2.

Ex Causis, Materia & Forma intrinsecæ sunt & vocantur *Principia.* Efficiens & Finis extrinsecæ sunt, & specialiter appellantur Causæ. Specialissimè autem Efficiens nominatur Causa, & distinguitur à Principiis & Fine.

Similiter Causatum, respectu Materiæ & Formæ dicitur Compositum: respectu Finis Destinatum: respectu Efficientis propriè dicitur Effectum. Generali autem acceptione Effectum respicit omnes quatuor causas, & sic idem est quod nobis Causatum.

Hæ quatuor Causæ, earumque Causata distinguuntur per quatuor Præpositiones, viz. *A* (vel *Ab*,) *E* (vel *Ex*,) *Per*, & *Propter*.

Efficiens est causa, à quâ res est.
Effectum est, quod fit ab Efficiente.

Notæ Efficientis ſunt, Pater, Mater, Artifex, Architectus, Author, Magiſter, Dux, Princeps, Principium, Caput, Origo, Fons, Radix, Semen, Fomes, Cibus, Nutrix, Nutrimentum.

Notæ Effecti, Filius, Filia, Proles, Soboles, Progenies, Fructus, Propago, Alumnus.

Efficiens & Effectum variè diſtinguuntur.

Primò & præcipuè, Efficiens eſt Agens, vel Faciens; Effectum eſt Actio, vel Res Actione producta.

Actio reſpectu Agentis, Effectum eſt; reſpectu Rei actione productæ, Efficiens eſt.

Exempla Agentis & Actionis, ſive aliquid actione producatur ſive non.

Agens.	*Actiones.*
Deus.	Creare, conſervare, gubernare mundum.
Homo.	Cogitare, loqui, ſcribere, edere, bibere, ludere, laborare, pugnare, emere, vendere, ædificare, plantare, procreare & educare liberos.
Beſtiæ.	Procreare pullos, parare ſibi & pullis paſtum & latibula, ſervire homini.
Plantæ & res inanimatæ.	Variæ operationes Medicinales & aliæ.
Magnes.	Attrahere ferrum, tendere in polos mundi.
Ventus.	Flare, purgare aërem, afferre vel abigere pluviam.
Ignis.	Calefacere, exiccare, fovere, urere, coquere, aſſare, liquefacere, indurare.
Terra.	Suſtentare omnia quæ in ipsâ ſunt, plantas & quædam animalia proferre, omnia alere.

Pru-

Prudentia.	Rectè consulere de rebus agendis, medium ostendere inter extrema.
Temperantia.	Moderatè expetere & frui voluptatibus corporis.
Justitia.	Suum cuique tribuere.
Fortitudo.	Labores & pericula rectè subire & perferre.

Exempla Facientis & Rerum actione factarum sive productarum.

DEUS.	Mundus, & omnia quæ in eo sunt.
Homo.	Liberi, nepotes, posteri, dicta, scripta, ædificia, horti, pomaria, aliaque opera.
Magistratus.	Leges, judicia, præmia, pœnæ.
Animalia.	Pulli, pastus, latibula.
Plantæ.	Folia, flores, fructus, semen, inde aliæ plantæ.
Sol, Luna, Stellæ.	Lumen in aëre, dies, menses, anni, alij effectus varij.
Frugalitas & Diligentia.	Divitiæ, liberalitas, justitia.
Temperantia.	Sapientia, prudentia, sanitas corporis, bona fama, divitiæ, longævitas.
Intemperantia.	Stultitia, morbi, infamia, paupertas, brevitas vitæ.
Mansuetudo, Justitia.	Benevolentia, Pax.
Iracundia, Injustitia.	Jurgia, lites, pugnæ, bella, cædes, ruinæ.
Similitudo.	Societas, amicitia.
Experientia.	Prudentia, fiducia, cautio.
Meritum.	Præmium, pœna.

Prov. 2. 10,11,12,16. Et 3. 2,4, 8,10. Et 11. 13, 14,15, 16,17, 18,19. & 13. 10. & 14. 34. & 15. 1, 13,18,20,27,33. & 16. 18,28. & 23. 14,15,21,29,30. *Isa.* 32. 17. *Rom.* 5. 3,4,5. 1 *Cor.* 13. 4,5,6,7. 2 *Cor.* 7. 11. *Jac.* 1. 17.

2. Causa efficiens est vel Procreans vel Conservans.

Nam etiam Causa conservans numeratur inter Efficientes, non solùm ipsius actionis sive conservationis, sed etiam Rei conservatæ. Ejus enim vi Res conservata continuatur, & permanet in suo esse.

Sic Deus, ut creavit omnia, ita etiam creata conservat. *Neh.* 9. 6.

Parentes, ut procreant liberos, ita etiam eosdem alunt & educant.

Nutrix alit etiam quos non peperit.

Qualitates etiam, earumque actiones conservant eadem effecta, quæ producunt. Sic *Ovidius* de otio sive desidia, & ejus effecto, Amore sive Libidine. 4. *De Remedio.*

Hæc [scil. *Otia*] *ut ames faciunt, hæc quæ fecere tuentur.*
Hæc sunt jucundi Causa cibusque mali.

Causa quæ dicitur *Permittens*, est quidem causa permissionis, ut Agens Actionis: Sed neque permittens neque permissio est causa rei permissæ: Neutra enim vim aliquam confert vel ad procreationem vel ad conservationem ejus: Sed solummodo non impedit, adeoque est, ut dicitur, *Causa sine quâ non.* Ea autem verè & propriè non est causa.

Sic Deus permittit peccatum, sed non est causa ejus; licet absque ejus permissione fieri non possit.

Exempla Causarum permittentium vide *Num.*22. 20,35. 2 *Sam.*16. 10. & 18.23. 1 *Reg.*22.22. 2 *Reg.*2. 17,18. 2 *Chron.*25. 8. *Job* 1. 12. & 2.6. *Psal.* 81.12. *Eccles.*11.9. *Ezec.* 3.26. & 20.39. *Hos.*4.4. *Mat.*23.32. *Marc.*5.13. *Act.*2.23. & 14.16. & 17, 30. 1 *Cor.*6.7. *Apoc.*22.11.

Causa etiam Corrumpens (ut vocatur) est quidem causa corruptionis; sed neque ipsa, neque corruptio est causa rei corruptæ. Neque enim illi vim aliquam conferunt ut fiat sive sit, vel ut conservetur sive permaneat in suo esse; sed contrà efficiunt ut non sit, vel ut desinat esse.

Ex. gr. Cùm homo occiditur, domus aut urbs inceditur, vas aut statua frangitur, arbor aut sylva succiditur, scriptum aut pictum deletur, patrimonium comeditur aut dissipatur, cùm aqua extinguit ignem, ignis absumit aquam, & in genere cùm unum contrarium corrumpit aut destruit alterum.

*Deut.*7. 5. & 12.2, 3. *Judic.* 15. 5. 2 *Reg.* 10. 28. *Psal.*74.6,7,8. *Prov.*25.23. *Eccles.*7.7. & 9. 18. 1 *Cor.* 15.33.

3. Efficiens est vel Solitaria, vel Socia.

4. Est vel Proxima, vel Remota. *Nehem.*13.10,11. *Jer.*13.17. *Rom.*5. 3,4.

5. Est vel Principalis, vel minùs Principalis.

6. Inter Minùs principales sunt Adjuvantes & Moventes.

7. Inter Adjuvantes sunt Instrumenta, sive Animata, sive Inanimata: ut distinguuntur ab *Aristotele* Politic. lib.1.cap.3.

8. Inter Moventes sunt Προηγουμένη, & Προκαταρκτική. Illa quasi præcedens & præinducens: Hæc quasi incipiens, & in actum producens effectum.

Ex.

Ex.gr. Quòd *Solomon* morte affecit *Shemei*, causa προηγουμένη erat, quia maledixerat *Davidi*: Causa προκαταρκτική, quia injussu *Solomonis* exierat *Hierosolymis*. 1 *Reg*.2. 42,43,44.

9. Est vel per se, vel per Accidens.

10. Per se est vel Naturalis, vel Voluntaria.

Per accidens autem impropriè dicitur Efficiens: cùm potiùs sit aliquid conjunctum cum Efficiente; vel ad summum *Occasio*, non *Causa*.

Ex.gr. Cùm Veritas dicitur parere odium; Familiaritas contemptum; Patientia licentiam peccandi; Bona propria superbiam; Aliena invidiam; Præda opima & facilis rapinam.

Gen.37. 4,8. *Jos*.7. 21. *Prov*.1.12,13. *Eccles*.4.4. & 8.11. *Rom*.2.4,5. 1 *Cor*.8.1.

CAP.

CAP. IV.

De Materia & Materiato.

Materia est causa, ex quâ res est.
Materiatum est, quod est ex materiâ.

Exempli gratia;

Materia.	*Materiatum.*
Chaos sive Materia prima.	Omnia corpora naturalia.
Terra.	Corpus *Adami.*
Costa *Adami.*	Corpus *Evæ.*
Elementa.	Mixta.
Semen.	Planta, & Animalia.
Terra & Aqua.	Exhalationes.
Exhalationes.	Nubes.
Nubes.	Pluvia, Nix, Grando.
Pluvia, Nix, Grando.	Torrens.
Aurum, Argentum, Æs.	Nummus, Vas, Statua.
Ferrum.	Gladius, & alia Ferramenta.
Pannus.	Vestis.
Triticum.	Panis.
Ligna, Lateres, Lapides.	Domus, Murus, Statua.

Gen. 1. 2. & 2. 7, 22. & 3. 7, 21. & 6. 14. & 11. 3. *Exod.* 7. 19. & 8. 16. & 25. 3, 4, 5, 6, 7. & 35. 5, 6, 7, 8, 9. *Deut.* 29. 17. 1 *Chron.* 29. 2. *Dan.* 2. 32, 33. & 5. 4. *Joh.* 2. 9.

Materia

Materia est Permanens, vel Transiens. Illa, ex quâ res fit & constat, ut Nummus ex auro. Hæc ex quâ res fit sed non constat, ut vinum ex aquâ. *Job.* 2.9.

Item est Proxima, vel Remota.

Loco Materiæ aliquando usurpatur Subjectum, quod appellatur *Materia in quâ:* Aliquando Objectum, quod dicitur *Materia circa quam:* Aliquando *Genus:* Aliquando *Partes.* De quibus omnibus infrà suis locis.

CAP. V.

De Forma & Formato.

Forma est causa, per quam res est id quod est.

Formatum est, quod per formam est id quod est.

Exempla gratia;

Forma.	*Formatum.*
Anima rationalis.	Homo.
Anima sensitiva.	Animal.
Anima vegetativa.	Vivens.
Mediocritas.	Virtus.
Declinatio à Mediocritate.	Vitium.
Amor mutuus & manifestus.	Amicitia.
Rotunditas in plano.	Circulus.
Rotunditas in solido.	Sphæra.

Abstractum

Abstractum est Forma Concreti, ut *Albedo Albi, Dominium Domini.* Rerum naturalium Formæ essentiales fere nobis ignotæ sunt, aut nominibus destitutæ. Itaque illarum loco cogimur uti aliis argumentis. Rerum artificialium formæ, utpote quæ externæ sunt, facilè sensibus percipiuntur, sed non nisi pluribus verbis exprimuntur: ut forma *Domus, Vestis, &c.*

Similiter formæ externæ rerum naturalium, ut *Leonis, Equi, &c.* Sed hæ potiùs ad locum Adjunctorum referendæ sunt.

Gen. 6. 15, 16. *Exod.* Cap. 25, & 26, & 27. 1 *Reg.* Cap. 6, & 7. *Dan.* 2. 31, 32, 33. & 4. 10, 11, 12. & 7. 3, &c.

Quod cuique rei (sive Substantiæ sive Accidenti) maximè essentiale est, id pro ejus Formâ accipi, & usurpari potest.

Forma dat Formato, 1. Essentiam. 2. Nomen. 3. Differentiam ab aliis rebus. 4. Propria accidentia. 5. Operationes.

CAP.

C A P. VI.

De Fine & Destinato.

Finis est causa propter quam, vel cujus gratiâ res est.

Destinatum est, quod est propter finem, vel gratiâ finis.

Notæ Finis sunt, Scopus, propositum, intentio, intentum, Conjunctiones finales. Lib. 2. cap. 10. §. *Item Conjunct. final.* In linguâ Græcâ & Anglicanâ Modus Infinitivus post verba motûs. In linguâ Latinâ prius Supinum post ejusmodi verba.

Destinatum etiam dicitur Medium.

Finis (adeoque Destinatum) variè dividitur. Primò & præcipuè Finis est οὗ vel ᾧ; Finis cujus, vel Finis cui. *Aristot.* de Animâ, Text. 37.

Finis cujus, est bonum quod intenditur.

Finis cui, est is vel id, cui bonum intenditur.

Exempla prioris Generis.

Finis cujus.	*Destinatum.*
Vita.	Victus.
Habitatio.	Ædificatio, Domus.
Operatio.	Instrumentum.
Usus.	Divitiæ.
Victoria.	Pugna.
Pugna.	Milites, Equi, Arma.
Pax.	Bellum.
Mutuum auxilium, Procreatio liberorum, Vitatio scortationis.	Conjugium.

Singulas

Singulæ Artes suos habent propriòs Fines.

Exempli gratia.

Bene loqui.	Grammatica.
Bene dicere.	Rhetorica.
Bene disserere.	Logica.
Bene numerare.	Arithmetica.
Bene mensurare.	Geometria.

Denique quicquid agimus, alicujus Finis (id est Boni, vel Veri, vel Apparentis) gratiâ agimus.

Gen. 1.14,15. & 2.15. & 3.23,24. & 33.8. & 45.5. *Exod.* 13.21. & 37.5,14,15,27. & 39.21,23. & 40.30. *Prov.* 17.23. & 30.8,9. *Isa.* 45.18. *Mic.* 3.11. *Mat.* 6.2,4,5,6,16,17,18. & 9.13. & 26.5. *Luc.* 19.10. *Joh.* 10.10. *Act.* 26.16; 17, 18. *Rom.* 9.17, 21, 22, 23. 1 *Cor.* 1.27, 28, 29. & 9.20, 21, 22, 23. & 12.7, 25. 2 *Cor.* 12.7. *Gal.* 1.4. *Eph.* 4.28,29. 1 *Tim.* 2.2. 2 *Tim.* 2.20, 21. *Tit.* 1.13. & 2.14. 1 *Joh.* 3.8.

Cic. pro *Rabirio* 94.*a.* Probat *Saturninum* jure occisum quia arma jure sumpta sunt contra eum: à Destinato ad Finem.

Exempla posterioris Generis.

Finis cui.	Destinatum.
DEUS.	Mundus, & omnia quæ in eo sunt.
Homo.	Reliquæ creaturæ corporeæ.
Dominus.	Servus, ejusque opera.
Cives.	Leges, Judicia, Artes.
Corpus humanum.	Victus, Vestitus, Medicina.

Is

Is qui amatur.	Amicitia, ejusque officia.
Is cui militatur.	Militia, Pugna, Victoria.
Socii pop. *Romani.*	Lex repetundarum. *Cic.* ver.57.*b.*

Me id facere maximè causâ meâ. *Ter.*Eun.Scen.ult.

2 *Sam.*10.12. 1 *Reg.*7.8. 1 *Chron.*29.1. 2 *Chron.*2.1,5. *Prov.*16.4,26. *Eccles.*4.8. & 6.7. *Ezek.*29.3. *Marc.*2.27. *Rom.*11.36. 1 *Cor.*11.9. *Apoc.*4.11.

Exempla utriusque Generis.

Cic. Agrar. 89. quâ de causâ, & quorum causâ.

*Gen.*1.29,30. & 2.18. & 45.19,23. *Exod.*25.8. & 39.41. *Dan.*4.30. *Mat.*26.12,28. & 27.7. *Rom.*13.4. 1 *Cor.* 14.22. 1 *Tim.*1.15,16. & 2.6. 2 *Tim.*2.10. *Heb.*1.14. 1 *Pet.*2.14. 2 *Pet.*3.9.

Porro, Finis est vel Summus, vel Subordinatus.
Item, Proximus, vel Remotus. 2 *Sam.*24.21. 2 *Cor.* 12.7.
Item, Solitarius, vel Socius.
Item, Principalis, vel Minùs principalis.
Item, Rei, vel Agentis. *Aquin.* Sum. 22ae. q. 141.6.1. & Supplem. q.48.2.c. *Senec.* de Benef. lib.2.c.33.

CAP.

CAP. VII.

De Subjecto & Adjuncto.

SUbjectum est cui aliquid adjungitur.
Adjunctum est cui aliquid subjicitur.
Subjectum & Adjunctum quadruplicia sunt.
1. Cùm Adjunctum inhæret Subjecto.
2. Cùm Adjunctum extrinsecus accidit Subjecto.
3. Cùm Adjunctum collocatur in Subjecto. Hîc Subjectum Locus est; Adjunctum, Locatum.
4. Cùm Adjunctum versatur circa Subjectum. Hîc Subjectum dicitur Objectum; Adjunctum, Occupatum.

Exempla primi Generis.

Subjectum.	*Adjunctum inhærens.*
Anima humana.	Potentiæ, Habitus, Artes, Virtutes, Vitia.
Corpus humanum.	Statura, Forma, Figura, Pulchritudo, Deformitas, Robur, Infirmitas, Valetudo bona vel mala.
Stellæ.	Quantitas, Figura, Densitas, Lux, Virtutes.
Elementa & Mixta.	Qualitates primæ & secundæ.
Ignis.	Calor, Siccitas, Tenuitas, Levitas, Lux.
Terra.	Frigiditas, Siccitas, Crassities, Gravitas.
Vitrum.	Soliditas, Perspicuitas,

Flores.	Figura, Forma, Color, Odor, Virtus.

Denique, Quælibet Substantia, & Accidentia ei inhærentia.

Exempla secundi Generis.

Subjectum.	*Adjunctum extrinsecus accidens.*
Homo.	Divitiæ, Paupertas, Honor, Infamia, Vestitus, Arma, Comitatus.
Res in tempore.	Tempus, quamdiu, quando, quoties, Antecedentia, Concomitantia, Consequentia.

Exempla tertii Generis.

Subjectum.	*Adjunctum Locatum.*
Locus.	Res, Persona, factum, in loco.
Terra.	Homines, bestiæ, plantæ, metalla, lapides; Ambulatio, equitatio, aratio, plantatio, ædificatio.
Aqua.	Pisces, naves, piscatores, nautæ, piscatio, navigatio, natatio.
Aër.	Volucres, nubes aliaque meteora, eorum motus.
Cœlum secundum.	Sol, Luna, Stellæ, Eorum situs, motus.
Cœlum tertium.	Deus per specialem præsentiam. Christus, Angeli, Sancti: Eorum actiones.
Patria.	Homo ibi natus, vel degens.
Urbs.	Civitas, quæ in eâ est. *Cic.* pro Sylla. 172. *a.* Academic. 34. *b.*
Templum.	Sacerdos, Populus, Utensilia sacra, Res divina, Oratio, prædicatio verbi, Sacramenta.

Senaculum.	Senatus, Consultatio.
Academia, Schola.	Literati, Præceptores, Discipuli, Prælectiones, Disputationes, Artes, Scientiæ.
Domus.	Familia, Supellex, Officia domestica.
Forum judiciale.	Judices, Rei, Actores, Advocati, Testes, Accensi, Lictores, aliique ministri, Accusatio, defensio, absolutio, condemnatio.
Forum mercatorium.	Mercatores, merces, mercatura, emptio, venditio, permutatio.

Aliis, Locus, (ut & Tempus) censetur inter Adjuncta Secundi generis, (id est, circumstantias sive extrinsecus accidentia) & Locatum pro Subjecto ejus reputatur.

Exempla quarti Generis.

Subjecta occupantia, sive Objecta.	*Adjuncta Occupata.*
Sensibile.	Sensus.
Color, Lux.	Visus.
Sonus, Vox.	Auditus.
Odor.	Odoratus.
Sapor.	Gustus.
Qualitates tactiles.	Tactus.
Res præteritæ.	Memoria, oblivio, historia, pœnitentia.
Res futuræ.	Consultatio, prævisio, præsagium, prædictio, prophetia, spes, metus, promissio, comminatio.
Verum.	Intellectus.
Bonum.	Voluntas, amor, gaudium, desiderium, spes, promissio.

Malum.	Odium, metus, fuga, tristitia, ira, comminatio.

Singulæ Artes (ſive liberales ſive Mechanicæ) & Artifices, ſua habent Subjecta ſive Objecta, id eſt materiam quam tractant, & circa quam verſantur.

Exempli gratia;

Ratio.	Logica.
Oratio.	Grammatica, Rhetorica, & aliquo reſpectu etiam Logica.
Numerus.	Arithmetica.
Magnitudo.	Geometria.
Stellæ.	Aſtronomia.
Valetudo corporis.	Medicina.
Oves.	Paſtoritia.
Ager.	Agricultura.
Aurum, argentum, æs, Ferrum, lapis, lignum.	Variæ artes fabriles, quæ in iis operantur.

Virtutum etiam & vitiorum ſua ſunt Subjecta ſive Objecta, circa quæ verſantur, & quibus à ſe invicem diſtinguuntur.

Exempli gratia;

Voluptates corporis.	Temperantia, Intemperantia.
Labores & pericula, Metus & fiducia.	Fortitudo, ejuſque extrema.
Τὰ χρήματα.	Liberalitas, Frugalitas, Avaritia, Prodigalitas.

Honor.

Honor.	Magnanimitas, Modestia, Pusillanimitas, Superbia.
Ira, Vindicta.	Mansuetudo, Lenitudo, Crudelitas.
Jus cujusque.	Justitia, Injustitia.

Quicquid etiam cogitamus, dicimus, scribimus, de aliquo Subjecto est.

Similiter & Actionis cujusque materia circa quam versatur, Subjectum sive Objectum est tam ipsius Actionis quàm Agentis.

Accusativus casus post verbum Activum ferè vel Effectum vel Objectum est tum Verbi tum Nominativi ejus. Sic & Nominativus Verbi Passivi respectu ejusdem Verbi Passivi & Ablativi Agentis.

In singulis his quatuor generibus, Subjectum & Adjunctum sunt,

1. Communia, vel propria.
2. Proxima, vel remota.

CAP. VIII.

De Toto & Parte.

TOtum est, quod continet Partem.

Pars est, quæ continetur à Toto.

Totum & Partem hîc inter Argumenta prima ponimus, non inter Orta sub Distributo & Distributione. Quia licèt omne Totum habet plures Partes, in quas omnes simul sumptas distribuitur; tamen potest arguere unam aliquam partem, aut plures aliquas partes absque Distributione. Neque Totum & Partes præsupponunt Distributionem, sed Distributio supponit Totum & Partes, adeoque his naturâ posterior est, & ex his oritur, non hæc ex illâ.

Totum & Pars duplicia sunt; 1. Integrum & Membrum. 2. Genus & Species.

I. *De Integro & Membro.*

Integrum est Totum quod constituitur ex suis partibus. Alias dicitur Totum integrale, Totum actuale, Totum ex partibus.

Membrum est pars Integri.

Exempli gratia;

Integrum.	*Membrum.*
Domus.	Parietes, Tectum.
Arbor.	Radix, Ramus.
Corpus.	Caput, Manus, Pes.
Caput.	Oculus, Auris, Nasus.

Oculus.

Oculus.	Pupilla.
Mundus.	Terra.
Terra.	*Europa.*
Europa.	*Anglia, Gallia.*
Annus.	Ver, Æstas.
Annus.	Mensis.
Mensis.	Dies.
Dies.	Hora.
Logica.	Inventio.
Oratio.	Exordium.

Huc refertur etiam Totum essentiale, id est Compositum, & Pars essentialis, id est, Materia vel Forma. Nam & hoc Totum ex his partibus constituitur.

II. *De Genere & Specie.*

Genus est Totum concurrens ad constitutionem suarum partium. Aliàs dicitur *Totum universale, Totum potentiale, Totum in partibus.*

Species est Pars Generis. *Ex. gr.*

Genus.	*Species.*
Animal.	Homo.
Planta.	Arbor.
Arbor.	Quercus.
Metallum.	Aurum.
Lapis.	Marmor.
Magnitudo.	Longitudo.
Figura.	Quadrangulum.
Quadrangulum.	Quadratum.
Habitus.	Virtus.
Virtus.	Justitia.
Sensus.	Visus.
Ars.	Logica.
Color.	Albedo.
Causa.	Efficiens.
Totum.	Integrum.

Genus est Generalissimum, vel Subalternum.

Genus generalissimum (supremum sive summum) est, quod non habet aliud genus supra se in eadem serie.

Subalternum est, quod habet aliud genus supra se, cujus respectu est Species.


Species est Subalterna vel Specialissima.

Species subalterna est, quæ habet alias species infra se, quarum respectu est genus.

Specialissima (ima, sive infima) est, quæ non habet alias Species infra se. Hæc tamen respectu singularium sive Individuorum est quasi genus. Et singularia sive Individua ad Speciem suam relata sunt quasi Species.

Genus & Species sunt Proxima vel Remota.

Horum omnium Exempla habemus in Serie Substantiarum.



In hac Tabulâ, Substantia est Genus generalissimum: Corpus, Mixtum, Animatum, Animal, sunt Genera subalterna, & Species subalternæ: Homo est Species specialissima: *Socrates*, *Plato*, Hic & ille homo sunt Singularia sive Individua.

Item, Hominis Genus proximum est Animal: Remota, Animatum, Mixtum, Corpus, Substantia.

Contrà, Substantiæ Species proxima est Corpus: Remotæ sunt Mixtum, Animatum, Animal, Homo.

Genus Subalternum, & Species Subalterna solâ ratione differunt. Quod enim ratione inferioris est Genus, idem ratione superioris est Species. Et è converso.

Idem genere sunt, quæ sub eodem genere continentur; ut Homo & Brutum, *Alexander* & *Bucephalus*.

Idem Specie sunt, ejusdem speciei individua; ut *Socrates*, & *Plato*.

Idem numero sunt, quæ una eademque res singularis sunt; ut *Philippus* & Pater *Alexandri*. *Johannes Baptista* & Præcursor Christi, *Judas Lebbæus* & *Thaddæus* Apostolus, qui scripsit ultimam ex Epistolis. Idem homo infans, puer, juvenis, vir, senex. Idem corpus moriens & resurgens. Eadem aqua calida & frigida.

Hinc etiam apparet, quæ sint Diversa genere, specie, & numero.

CAP.

CAP. IX.

De Dissentaneis. Et primò De Diversis.

HActenus fuerunt Argumenta consentanea.
Dissentanea sunt, quæ inter se dissentiunt.
Suntque vel Diversa, vel Opposita.
Diversa sunt, quæ ratione tantùm dissentiunt; id est, ita dissentiunt, ut possint convenire.
Sunt igitur mediæ quasi naturæ inter simpliciter consentanea & simpliciter dissentanea. Id est, ita consentiunt, ut non sint planè eadem; & ita dissentiunt, ut tamen non opponantur.
Itaque ad duo Capita referri possunt: quæ, si placet, appellentur *Consentanea dissentientia*, & *Dissentanea consentientia.*

Consentanea dissentientia voco, quæ videntur esse eadem & tamen differunt. Et hæc etiam duplicia sunt.

1. Quorum neutrum infert alterum.

Exempli gratia.

Robustus & fortis. Imbecillus & ignavus. Innupta & virgo. Cœlebs & castus. Doctus & prudens. Amicus & blandus. Tenax & rapax. Locuples & αὐτάρκης. Pauper & mendicus. Dulce & gratum. Amarum & ingratum. Propinquus & amicus.
Res grata, & probata. *Cic.* pro *Ligario*, 140. *b.* 141. *a.*
Dicere & clamare. Idem in *Verr.* 62. *a.*

Confiteri

Confiteri & assentiri. Idem *Tusc.* 151.*b.*
Dolere & queri. Idem pro *Flacco* 158.*a.*
Quid soleat fieri, & quid liceat. Idem in *Verr.* 191.*a.*
Disputator subtilis, & orator vehemens. Idem *Offic.* 1. *b.*
Orator vehemens, & dulcis. Ibid.
Maledicere & accusare. Idem pro *Cælio* 38.*b.*

2. Quorum unum infert alterum, sed non è converso. Cujusmodi sunt Subordinata.

Exempli gratia.

Substantia & corpus. Animatum & animal. Quantitas & magnitudo. Magnitudo & longitudo. Largus & liberalis. Largus & prodigus. Parcus & frugalis. Parcus & avarus.
Ἄρεσκος, & κόλαξ. *Aristot. Eth.* lib.4.cap.12.
Ἀκούσιον, & βίαιον. Idem *Eth.* lib.3.cap.1.
Qui facit ignorans, & qui facit per ignorantiam. Lib.3. cap.2.
Ζήτησις, & βούλευσις. Ibid. cap.5.
Ἑκούσιον, & προαίρετον. Idem *Magn. moral.* lib. 1. cap.18.
Dolere, & Mœrere. *Cic. Tusc.* 154.*b.*
Læsus & injuriâ affectus. Idem in *Verr.* 63.*b.*
Licere, & oportere, *Cic.* pro *Balbo* 56.*a.*
Pactio & fœdus. Idem de *Orat.* 98.
Solutum & vagum. } Idem *Orat. ad*
Ingredi libere, & licenter errare. } *Brut.* 204.*a.*
Tacere, & celare. Idem *Offic.* 62.*b.*
Habac. 2.3. 1 *Cor.* 10.23. & 14.20. 2 *Cor.* 4.8,9. & 11.6. 2 *Pet.* 3.9.

Differ-

Dissentanea consentientia appello quæ videntur plane pugnare, sive opponi, & tamen solummodo differunt; id est, Neutrum eorum tollit alterum.

Exempli gratia.

Robustus & ignavus. Imbecillus & fortis. Nupta & virgo. Conjugatus & castus. Doctus & improbus. Indoctus & prudens. Rapax & prodigus. Pauper & *munificus*. Dives & mendicus. Dulce & ingratum. Amarum & gratum. Frugalis & liberalis. Magnanimus & modestus. Justus & misericors. Mansuetus & severus. Comis & gravis. Irritabilis & placabilis. *Cic. Attic.* 14.*b.*

Prov. 30. 24. *Cant.* 1. 5. *Joh.* 8. 14. 2 *Cor.* 6. 8, 9, 10.

Huc pertinent Contraria mediata negata.

Exempli gratia.

Album non est, sed tamen nigrum non est. Non formosus est, nec tamen deformis est.

Cic. de *claris Orat.* 186. *b.* Non erat abundans, nec inops tamen.

Idem pro *Sextio* 22.*a.* Pulsi eramus, non omninò istâ manu solâ, sed tamen non sine istâ.

Denique omnia quæ enuntiantur per Quanquam, & tamen, hujus loci sunt; sive alterum affirmetur, alterum negetur, ut in Consentaneis dissentientibus; sive utrumque affirmetur vel utrumque negetur, ut in Dissentaneis consentientibus.

Hujus loci insignis usus est ad rectè judicandum tum de veritate & falsitate propositionum, tum de consequentia & inconsequentia Argumentationum. Hinc enim fons omnis erroris, cùm Diversa vel pro

Iisdem,

Iisdem, vel pro Oppositis accipiuntur. Vide lib. 2. cap.44. §. *Huic Affine*; & §. *Ex Propositionibus*.

CAP. X.

De Oppositis. Et primò De Relatis.

OPposita sunt, quæ non tantùm ratione, sed etiam re dissentiunt, id est ita dissentiunt ut eidem, & secundum idem, & ad idem, & eodem tempore convenire sive attribui non possint.

Hinc uno eorum affirmato, alterum necessariò negatur.

Et hinc, Omnia Opposita implicant contradictionem. Lib.2. cap.10. §. *Hæc conversio*; & cap. 38. §. *Huc pertinet*.

Oppositorum alia opponuntur ut unum uni: alia ut unum pluribus.

Quæ opponuntur ut unum uni, ea sola ab *Aristotele* agnoscuntur pro Oppositis, & vocantur Ἀντικείμενα. Post-prædic.1.

Horum quatuor genera sunt: *Relata*, *Adversa*, *Privantia*, & *Contradicentia*.

Relata sunt Opposita, quorum alterum pendet è mutuâ alterius affectione. *Aristoteli* appellantur τὰ πρός τι, Ad aliquid.

Horum itaque ut unum non potest esse alterum, ita unum non potest esse sine altero.

Suntque Diversorum Nominum, vel ejusdem Nominis.

I. *Diver-*

I. *Diversorum Nominum*; Ex. gr.

Pater & filius. Sub Patre etiam Mater, & sub Filio Filia comprehenditur. Et sic in reliquis in quibus est differentia sexûs, Masculinum sub se complectitur fœmininum: Alioqui Relatum posset esset sine correlato. Sed Pater est etiam filiæ, etsi filium non habet, Et Filius est matris, etsi non habeat patrem. Sic Avus vel Avia, & Nepos vel Neptis. Socer vel Socrus, & Gener vel Nurus. Vitricus vel Noverca, & Privignus vel Privigna. Dominus vel Domina, & Servus vel Ancilla. Rex vel Regina, & Subditus vel Subdita. Magister vel Magistra, & Discipulus vel Discipula. Sic Patronus & Cliens. Benefactor & Beneficiarius. Creditor & Debitor.

Sic, ut suprà notatum, Cap. 1. Omnia Capita argumentorum diversorum nominum; ut Causa & Causatum. Subjectum & Adjunctum. Totum & Pars, &c.

In Verbis & Participiis, Dare & Accipere. Dans & Accipiens. Sic Emere & vendere. Locare & conducere. Docere & discere. Præesse & subesse. Imperare & servire. Antecedens & Consequens.

Sic idem Verbum vel Participium Activum & Passivum; ut Amare & Amari. Amans & Amatus. Continens & Contentum.

II. *Ejusdem Nominis*.

Fratres; Sorores; Cognati; Fratrueles; Conjuges; Affines; Populares; Tribules; Concives; Comites; Collegæ; Contubernales; Commilitones; Coævi; Confines; Vicini; Socii; Amici; Inimici; Adversarii; Hostes; Alieni; Conscii; Competitores;

Rivales;

Rivales; Cohæredes; Conſervi; Hoſpites; Diſſentanea; Comparata; Conjugata.

Deut. 13. 6. *Iſa.* 24. 2. *Mic.* 7. 6. *Mat.* 10. 21, 35, 36.

C A P. XI.

De Adverſis.

ADverſa ſunt, quorum unum uni poſitivè opponitur, & Neutrum pendet ex alterius affectione. Aliàs appellantur *Contraria*. *Ariſtoteli* Ἐναντία.

Exempli gratia.

Calor & frigus (vel in concreto Calidum & frigidum) Humiditas & ſiccitas; Mollities & durities; Albedo & nigredo; Dulcedo & amaritudo; Amor & odium ; Voluptas & dolor ; Virtus & vitium; Prudentia & ſtultitia; Fortitudo & ignavia; Juſtitia & injuſtitia; Temperantia & intemperantia; Manſuetudo & crudelitas; Severitas & lenitudo; Magnanimitas & puſillanimitas; Modeſtia (ſive Humilitas) & ſuperbia; Liberalitas & avaritia; Frugalitas & prodigalitas ; Amicitia & inimicitia; Felicitas & miſeria; Conſenſio & diſſenſio; Similitudo & diſſimilitudo; Paritas & imparitas; Præmium & pœna; Honor & infamia; Generatio & corruptio; Augmentatio & diminutio; Aſcenſio & deſcenſio; Proſequi & fugere; Suadere & diſſuadere; Laudare & vituperare; Accuſare & defendere; Abſolvere & condemnare; Benedicere & maledicere; Sperare & timere;

timere; Promittere & minari; Hortari & dehortari; Aperire & claudere; Ligare & solvere; Remittere & retinere; Placere & displicere; Dare & auferre; Inspirare & expirare; Dilatare & contrahere; φιλάνθρωπος & μισάνθρωπος.

Eccles. 3. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

Sic etiam (quanquam contra vulgarem opinionem) in substantiis, Corpus & Spiritus; Homo & Brutum; Ignis & Aqua, &c. Quæ non solum qualitatibus opponuntur, sed primariò & præcipuè ipsis formis & essentiis, unde illæ qualitates fluunt.

Ex his & multis aliis Exemplis apparet, hunc locum multò latiùs patere quàm vulgò docetur. Alioqui nullum esset caput inter Opposita (opposita enim ea esse nemo negare potest) ad quod referri possent.

Adversa sunt vel Immediata, ut Par & impar in numeris, vel Mediata, ut Albedo & Nigredo in coloribus.

C A P.

CAP. XII.

De Privantibus.

PRivantia ſunt Habitus & privatio ejuſdem. *Ariſtoteli* Ἕξις, καὶ στέρησις. Poſt-prædic. 1.

Habitus eſt Ens ſive poſitivum quid.

Privatio eſt abſentia habitûs in ſubjecto habili.

Exempli gratiâ.

Vita & mors (vel in concreto, Vivus & mortuus) Viſus & cæcitas; Lumen & tenebræ; Scientia & ignorantia; Memoria & oblivio; Paſſio & apathia; Dolor & indolentia; Divitiæ & paupertas; Motus & quies; Plenum & vacuum; Pater & orbus; Filius & orphanus; Maritus & viduus; Uxor & vidua; Loquelâ præditus & mutus; Veſtitus & nudus; Armatus & inermis; Hæres & exhæres.

In hoc & præcedente Capite tres errores cautè vitandi ſunt.

1. Ne Privantia pro Adverſis accipiamus: præſertim ubi neutra pars componitur ex particulâ privativâ; ut in his, Vivus & mortuus; Videns & cæcus; Dives & pauper; Motus & quies.

2. Ne Adverſa pro Privantibus accipiamus: præſertim ubi altera pars componitur ex particulâ privativâ: ut in his, Injuſtitia, Intemperantia, Inimicitia, Infamia, Ignominia, Imparitas, Diſſentanea, Diſſimilia, Diſplicere, Diſſuadere.

3. Ne Habitum pro Privatione; aut Privationem pro Habitu accipiamus; ut in his, Mors & Immortalitas;

litas; Corruptibile & Incorruptibile; Otium & Negotium; Σχολὴ & Ἀσχολία. In quibus prius est privatio, posterius habitus; cùm tamen contra esse videatur ob rationes prædictas.

Hos omnes errores uno modo cavebimus, nempe si non ad formam sive figuram, vel sonum vocum, sed ad vim & significationem attendamus.

Privantia in Subjecto habili sunt immediatè Opposita.

CAP. XIII.

De Contradicentibus.

Contradicentia sunt, quorum alterum ait, alterum negat idem.

Aristoteli, Κατάφασις, καὶ Ἀπόφασις. Post-prædic. 1.

Affirmatum est Finitum, Negatum Infinitum. Ut suprà cap. 2. §. 3. *Est vel Finita.*

Exempli gratiâ.

Homo & Non homo; Videns & Non videns; Dives & Non dives; Vestitus & Non vestitus; Memor & Non memor.

Imò etiam negatione appositâ ad terminum privativum; ut Cæcus & non cæcus; Pauper & non pauper; Nudus & non nudus; Oblitus & non oblitus; Orbus & non orbus; Orphanus & non orphanus; Viduus & non viduus.

Fabii

Fabii non dimicare erat vincere. *Val. Max.* lib. 7. cap. 3.

Si ſcalpra & formas non ſutor. *Hor.* lib. 2. Serm. 3.

Licebat quem nolebam non defendere. *Cic.* Epiſt. fol. 95.

Gen. 15.13. *Deut.* 32.21. 2 *Chron.* 13.9. *Pſal.* 44.12. & 59.4. *Eccleſ.* 7. 17. *Iſai.* 10. 7. & 31.8. & 43.13. & 51.21. & 52.3. & 55. 1, 2. *Jer.* 2. 32. & 17. 11. & 22.13. *Dan.* 11.20. *Habac.* 1. 6. & 2. 6. *Act.* 1.5. & 5. 26. & 12.18. & 17.4, 12. & 20. 12. & 21. 12. & 24.18. & 28. 2. *Rom.* 9. 25. & 14. 6. *Gal.* 4. 17. 1 *Tim.* 1.20. 1 *Job.* 5.16, 17.

Hujuſmodi negationes & inde ortæ contradictiones appellantur *Simplices* ſive *Topicæ*. De affirmatione & negatione Axiomaticâ, ſive Propoſitionum, dicetur lib. 2. cap. 2, & 6.

Contradicentia ſunt immediatè oppoſita.

CAP. XIV.

De Disparatis.

OPposita ut unum pluribus, sunt Disparata & Repugnantia.

Disparata sunt, quorum unum pluribus ejusdem ordinis opponitur.

Exempli gratiâ.

Ex Substantiis corporeis, Homo, arbor, lapis.

Ex Quadrupedibus, Leo, equus, bos, ovis, canis, lepus.

Ex Arboribus, Vitis, ficus, olea, quercus, ulmus.

Ex Coloribus, Album, rubrum, viride, flavum.

Ex Vocibus, Ridere, boare, hinnire, latrare, rugire.

Ex Gentibus, *Anglia*, *Gallia*, *Hispania*, *Germania*.

Quædam, quæ in abstracto sunt Disparata, in concreto sunt solummodo Diversa, aut etiam consentanea.

Exempli gratiâ.

Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, sunt disparatæ species virtutis, ut per Objecta & Actus distinguuntur: Sed in concreto bene conveniunt, imò necessariò connexæ sunt. Idem enim homo, & prudens, & justus, & fortis, & temperans est. Sic Albedo & dulcedo disparatæ qualitates sunt: At idem potest & album & dulce esse.

CAP.

CAP. XV.

De Repugnantibus.

REpugnantia ſunt, quorum unum pluribus non ejuſdem ordinis opponitur; vel (ut alii definiunt) ſunt Oppoſitorum antecedentia & conſequentia. Vide *Keckerm.* Syſt. Logic. lib.1. Sect. poſter.Cap.6.

Exempli gratiâ.

Amicum eſſe.	Odiſſe, invidere, ἐπιχαιρεκακεῖν, fraudare, opprimere, prodere, adulari, improbum eſſe. Item non amare, non bene velle, non bene facere, non congaudere & condolere, non veracem eſſe, non fidelem eſſe, non bonum virum eſſe.
Equum eſſe.	Balare, boare, rugire. Item non hinnire.
Hinnire.	Ovem, bovem, leonem eſſe. Equum non eſſe.
Hominem eſſe.	Irrationalem eſſe, mortuum eſſe, Animal non eſſe.
Spiritum eſſe.	Habere carnem & oſſa, contrectari, videri. *Luc.*24.39.
Præteritum.	Prævifio, prædictio, conſultatio.
Futurum.	Memoria, Oblivio, Hiſtoria.
Bonum.	Odiſſe, metuere, iraſci, minari.
Malum.	Diligere, optare, ſperare, promittere.
Prudentem eſſe.	Injuſtum, avarum, intemperantem eſſe. Juſtum, liberalem, temperantem non eſſe.

Deum esse.	Factum esse, *Hos*.8.6. Mentiri, *Heb*.6. 18. Non omnipotentem, non omniscium, non veracem, non Optimum Maximum esse.
Bonam arborem esse.	Malos fructus ferre, Bonos non ferre.
Malam arborem esse.	Bonos fructus ferre, Malos non ferre.

Gen. 13. 8. & 18. 25. *Num*. 23. 19. *Deut*. 22. 5. *Prov*. 17.7. *Eccles*.3.16. & 10.7. *Joh*.2. 16. 1 *Cor*.6. 7,8,15,16. & 11.13,14,15. & 13.4,5,6. 1 *Tim*. 3. 3, 6,8. *Tit*.1.7. *Jac*.3.10,11,12.

Hinc apparet, Hunc locum, quantumvis ab aliquibus neglectum, aut obscurè sub Loco Disparatorum comprehensum, magni usûs esse, & latissimè patere, adeóque distinctum genus Oppositorum poni debere.

Repugnantium vox aliàs latiùs accipitur pro Oppositis in genere.

C A P.

CAP. XVI.

De Comparatis. Et primò De Similibus.

FUerunt Argumenta Simplicia tam Conſentanea quàm Diſſentanea.

Comparata ſunt, quæ inter ſe comparantur.

De his in genere duo notanda.

1. Quòd hæc etiam ficta arguunt fidemque faciunt.

2. Quòd enuntiantur Aliquando contractè & breviter unà quaſi ſententiâ: Aliquando explicatè duabus diſtinctis partibus; Quarum prior *Protaſis* ſive *Propoſitio*, poſterior *Apodoſis* ſive *Redditio* appellatur.

Comparata ſunt vel in qualitate, vel in quantitate.

Per Qualitatem hic intelligimus Abſolutum ſive Poſitivum: per Quantitatem Gradum. Nam & ipſà Quantitas abſolutè (id eſt, abſque Gradu) conſiderata, pro Qualitate accipitur; ut infra §. *Sic accipiendo.*

In Qualitate Comparata ſunt Similia & Diſſimilia.

Similia ſunt, quorum eadem eſt qualitas; id eſt, quæ in aliquâ re abſolutè ſive poſitivè conveniunt.

Horum notæ ſunt, Similis, imago, effigies, more, ritu, inſtar, imitari, aſſimilare, aſſimulare, quaſi, ceu, tanquam, ut, velut, veluti, ſicut, ſicuti, quomodo, quemadmodum, prout, perinde, ſic, ita, itidem, qualis, talis, frater, germanus, ſocius, cognatus, affinis, aſſidens, exemplum, exemplar.

Item negatio *Diſſimilitudinis:* Non diſſimilis, non diſpar, non alienus, non alius, non aliàs, non aliter, non ſecus, non diverſus, non differens, non abludens.

Similitudo eſt Propria, vel Metaphorica. Illa dicitur Παράδειγμα, *Exemplum*: Hæc Παραβολὴ, *Parabola.*

Exempla prioris Generis.

Duo viri fortes (ut *Hector* & *Achilles*) duo timidi, duo conſtantes, duo inconſtantes, duo avari, duo mortales.

Vide *Plutarchi* Vitas parallelas, *Theſei* & *Romuli*, *Lycurgi* & *Numæ*, *Demoſthenis* & *Ciceronis*, *Ageſilai* & *Pompeii*, *Alexandri* & *Cæſaris*, *&c.*

*Gen.*9.3. & 48.5. *Judic.*1.7. & 11.24. 1 *Sam.*8.8. 1 *Reg.*16. 2, 3. 2 *Reg.* 8. 27. *Prov.* 18. 9. & 28. 24. *Ecclef.*8.14. & 9.2. *Iſa.* 10.9,10,11. & 14.10, 24. & 24.2. *Zech.*1.6. *Matth.*5.12. & 6. 10, 12. & 22. 39. *Luc.*6.35,36. & 17.26,27, 28, 29, 30. *Act.* 7. 51. & 14. 15. 1 *Cor.* 11. 1. & 15. 48, 49. & 16. 1, 10. 1 *Theſ.*2.14. 1 *Tim.*5.2. 2 *Tim.*3.8,9. *Heb.*2.17. & 4. 15. *Jac.*5.10,17. 2 *Pet.*2.1,15.

Sic accipiendo Quantitatem pro Qualitate, viz. conſideratam abſolute & abſque gradu. *Ex gr.* Inſtar montis equum; id eſt, Magnitudine ſimilem, non æqualem.

*Gen.*13.16. & 15.5. & 32.12. & 41.49. *Num.*13.33. *Deut.* 2. 10, 21. & 10. 22. *Joſ.* 11. 4. *Judic.* 6. 5. 1 *Reg.*10. 27. 1 *Chron.* 12. 8, 22. 2 *Chron.* 1. 9, 15. *Iſa.*24.2. *Joel* 2.11.25. *Amos* 2.9. *Heb.*11.12.

Exempla poſterioris Generis.

Vir fortis ſimilis eſt Leoni, equo generoſo; Timidus damæ, lepori: Conſtans Soli, Terræ, lapidi quadrato: Inconſtans Lunæ, Mari, Euripo, vento, ventilogio, polypo, chamæleonti, rotæ: Avarus, lupo, milvio, ſepul-

ſepulcro, inferno: Mortalis inquilino, viatori, gramini, flori, fumo, bullæ, umbræ, ſomnio..

Hujus Generis ſunt pleræque omnes Similitudines apud Autores: quæ ab *Eraſmo* & aliis collectæ ſunt. Omnes etiam Metaphoræ & Allegoriæ.

*Cic.Offic.*10.*b.* In referendâ gratiâ debemus imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt quàm acceperunt.

Idem ibid. ex *Ennio.*

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de lumine ſuo accendat, facit:
Nihilominus ipſi lucet, cùm illi accenderit.

Ergaſilus apud *Plautum* Capteiv. Act.1. *De ſe & aliis paraſitis.*

Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum.

2 *Sam.*14.14. 2 *Reg.* 18. 21. *Job.* 8.14. & 14. 2. *Pſal.* 1. 3, 4. & 37. 20. & 68. 2. &123. 2. & 124. 7. & 125.1,2. & 126. 1,4. & 127.4. & 128. 3. & 129. 6. & 133.2,3. *Prov.*1.17,18,19. & 5.3,4,19. & 6. 5, 27, 28,29. & 7.22. & 10.15,20,25, 26. & 11.22. & 12.4. & 13.14. & 15.19. & 16.24,27. & 17.3, 8, 14, 22. & 18.4,8,10,11. & 19.12,13. & 20.5,25,27,30. & 21.1. & 22.5. & 23.5,27,28,32,34. & 24. 34. & 25.11,12, 13,14,18,19,20,22,23,25,26, 27,28. & 26. 1, 2, 6, 7, 8,9,11, 14, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 27. & 27. 8, 9, 15,16,17,18,19,20,21. & 28.3,15. & 29.5. & 30.14, 33. & 31.14. *Eccleſ.*7.6. & 9. 12. & 10.1. & 12.2,3, 4,5,6,11. *Iſa.*36.6. & 53.2,6,7. *Jer.*13.11. & 17.11, *Hoſ.*13. 3. *Mic.* 5. 8. & 7. 4. *Naum.* 1. 10. & 3. 12. *Zech.*12.6. *Mat.*7. 24, ad finem cap. & 10, 16. & 11.16. & 23.16,24,25,27,33,37. *Rom.*6. 4. & 7. 2, 3,4. & 11.16,17,&c. 1 *Theſſ.* 5. 2, 3. *Jac.*1. 6, 10, 11,

11,23. & 2.26. & 4.14. 1 *Pet.*5.8. *Sapien.*5.9,10,11, 12,14.

Hujusmodi sunt Parabolæ Specialiter sic dictæ, quæ plerunque fictâ Protasi constant; ut illa *Menenii Agrippæ* apud *Livium*, lib. 2. cap. 32. de conspiratione membrorum corporis adversus ventrem.

Judic. 9. 8, &c. 2 *Sam.* 12. 1, &c. & 14. 5, &c. *Psal.*80.8,&c. *Isa.*5.1,&c. *Jer.*18.2,&c. *Ezec.*16.3,&c. & 19.2,&c. Et ver.10,&c.

Maximè autem Parabolæ Servatoris nostri in Evangelio. Quarum aliquas Ipse plenè & particulatim interpretatur; ut *Mat.*13. 18, &c. Et ver. 37, &c. Et ver.49,50. Et *Luc.*7.41,42,43,44,45,46,47.

Aliquas breviùs applicat, ut *Mat.* 18. 35. & 20.16. & 21.43. & 24.42,43, 44. *Luc.* 6. 45. & ver. 47, 48, 49.

In aliquibus relinquit Apodosin colligendam ex Protasi; ut *Mat.*13.31, 32. Et ver. 33. Et ver. 44. Et ver.45,46. Et cap. 21. 33, &c. Et cap. 22. 1, &c. Et 24.45,&c. Et 25.14,&c.

Huc etiam pertinent Apologi sive Fabulæ morales: quales sunt illæ *Æsopicæ.* *Ex gr.* Ut Gallus gallinaceus præfert granum hordei omnibus gemmis: ita Stultus præfert exiguum commodum, aut voluptatem corporis omnibus animi bonis.

Parabola sive Fabula ipsa est Protasis sive Propositio: Morale (ut vocatur) est Apodosis sive Redditio.

Omnis Similitudo, præsertim Parabolica, conjunctam habet aliquam Dissimilitudinem. Hinc illa dicta, Omne simile est etiam dissimile. Omnis similitudo claudicat. Nullum simile est idem. Nulla similitudo currit quatuor pedibus. Satis est si similitudo quadret in eo ad quod arguendum adhibetur.

*Mat.*10.16. 1 *Cor.*14.20.

Similitudo

Similitudo rationis eſt, cùm ratio inter Comparatà eadem eſt genere, licèt non gradu.

Exempli gratia;

Similiter debitor eſt is qui centum minas debet, atque is qui mille, licèt non pariter.

Similis, licèt non æqualis, ratio eſt furti & latrocinii: Scortationis, adulterii, & inceſtûs: Mendacii & perjurii: Mendacii officioſi, jocoſi, & pernicioſi: Et ut verbo dicam, *Omnia peccata ſimiliter mala & probibita ſunt, licèt non pariter.* Quod fefellit *Stoicos.*

Sic qui peccatum facit, & qui conſentit, conſulit, ſuadet, adjuvat, approbat, permittit, aut ullo modo participat, omnes ſimiliter in culpâ ſunt, ſed non pariter. *Luc.* 16. 10.

Contrariorum ad contraria ſimilis ratio eſt, licèt non ſemper par.

Exempli gratiâ.

Defendere aut abſolvere nocentem, & accuſare vel condemnare innocentem ſimiliter injuſta ſunt. *Prov.* 17. 15. Licèt poſteriora pejora ſunt. *Mat.* 27. 26.

Sic in illo Exemplo *Quintiliani*, lib. 5. cap. 11. *Si turpis eſt conſuetudo Dominæ cum Servo, turpis eſt Domini cum Ancillâ.*

Sic patruum vel avunculum ducere neptem ex fratre vel ſorore, ſimiliter nefarium eſt, ac patrem ducere filiam, licèt non pariter.

Item patrem ducere filiam, ac filium ducere matrem.

Item patruum vel avunculum ducere neptem ex fratre vel ſorore, ac nepotem ducere amitam vel mater-

materteram, similiter (& quidem pariter ratione propinquitatis) incestuosa sunt: Etsi posteriora videantur esse magis contra ordinem, ratione dominii & subjectionis; quod nihil est ad rationem incestûs.

Sic in sequentibus exemplis similis saltem ratio est, si non etiam par.

Cic. pro *Syllâ* 172. *b.* Si invides quod omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum meâ salute conjungunt: consolare te quòd omnium mentes improborum mihi uni maximè sunt infensæ atque adversæ.

Et ibid. 176.*a.* Neque verò quid mihi irascare, intelligere possum. Si quòd eum defendo; quem tu accusas: Cùr tibi ipse quoque non succenseo, qui accuses eum quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum. Et amicum ego defendo meum.

Idem de *Senect.* 84. *b.* Ut adolescentem, in quo senile aliquid; ita senem, in quo est adolescentis aliquid, laudamus.

Idem de *Amic.* 102. *b.* Si utilitas amicitias conglutinat: Eadem commutata dissolveret.

Idem de *Offic.* 64. Negant sapientis esse, pluris emere, quàm potuisset; ut si minoris, quàm potuisset, vendidisset.

Boëtius de *Consol.* lib. 3. Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum.

Quintilian. lib. 1. cap. 6. Ut novorum verborum optima sunt maximè vetera; ita veterum maximè nova.

1 *Sam.* 2. 30. *Job.* 8. 20. *Psal.* 18. 25, 26, 27. *Prov.* 10. 1,4,5,6, &c. & 18. 12,14,23. & 19. 12,16. & 22. 3. & 27. 6,7,12. & 28. 1,4,12, 13,14,18,19,27,28. & 29. 2,15,23,27. *Jer.* 18. 7, 8, 9, 10. *Ezec.* 18. per totum. *Zech.* 7. 13. *Mat.* 10. 32,33,39. & 7. 17, 18. & 13. 12. & 23. 12. *Luc.* 10. 10,25. *Rom.* 5. 18,19,21. &

& 6.20,21,22. 1 *Cor.*7.2,3,4,10,11,12,13,14,16, 18, 22,32,33. & 15. 22. *Gal.* 6.8. 2 *Thess.*1.6,7. Compara 1 *Tim.*3.2. cum Cap.5. 9. *Hebr.*5.13,14. *Sirac.* 10.31. & 11.11,12,13,25.

CAP. XVII.

De Dissimilibus.

DIssimilia sunt, quorum diversa est qualitas; id est, quæ in aliquâ re positivè sive absolutè dissentiunt.

Itaque omnis dissimilitudo fundatur in Dissentaneis. Et Dissimilia sunt Dissentaneorum subjecta.

Exempli gratiâ.

Albedo & nigredo (vel Album & nigrum) sunt Dissentanea, nempe Adversa: id quod est album (ut Cygnus) & id quod est nigrum (ut Corvus) sunt Dissimilia. Quod idem apparet in omnibus exemplis Dissimilium hîc sequentibus.

Notæ Dissimilium sunt Dissimilis, Dispar, Differens, alius, aliàs, aliter, secus, interest, refert.

Item negatio Similitudinis, Non similis, non talis, non idem, non ut, non sicut, non ita, non sic.

Dissimilitudo (ut antea Similitudo) est vel Propria, vel Metaphorica sive Parabolica.

Exempla

Exempla prioris Generis.

Vir fortis dissimilis est viro ignavo (ut *Achilles Thersiti*) constans inconstanti, liberalis avaro, &c.

Anima humana (quæ immaterialis & immortalis est) dissimilis est animabus reliquorum viventium, quæ materiales & mortales sunt.

Phædria & *Thraso Ter. Eunuch.* Act.3. Sc.2.
Atque hæc qui misit [scil. *Phædria*] *non sibi soli postulat*
Te vivere, & suâ causâ excludi cæteros:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat, neque tibi obstat: Quod quidam [scil. *Thraso*] *facit.*

Sic *Chærea* & *Dorus*, ibid. Act.4. Sc.4.
Ad nos deductus hodie [scil. *Chærea*] *est adolescentulus,*
Quem verò tu videre velles, Phædria.
Hic [scil. *Dorus*] *est vetus, vietus, veternosus, senex,*
Colore mustelino.

Sic *Antiphila* & *Bacchis, Heautont.* Act.1. Sc.2.
Clinia habet bene & pudicè eductam, &c. [scil. *Antiphilam*]
Mea [scil. *Bacchis*] *est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.*

Sic *Sicilienses* & cæteri Græci. *Cic. Verr.* 110. Nihil [scil. in *Siciliensibus*] cæterorum simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuria: Contrà, summus labor, in publicis privatisque rebus, summa patrimonia, summa diligentia.

Idem

Idem ibidem 228. Comparat *Verrem* cum *Marcello* ut longe dissimillimum.

Idem de *Offic.* 21. *b.* Ut in corporibus maximæ dissimilitudines sunt, &c. ita in animis existunt etiam majores varietates, &c. Harum multa exempla dat per integram paginam, fol. 22. *a.* Et pagina *b.* concludit sic. Innumerabiles aliæ dissimilitudines sunt naturæ, morumque minimè tamen vituperandorum.

*Gen.*4.2. & 25.27. & 27.11. *Exod.*1. 19. *Num.* 12. 6,7,8. *Deut.*11.10,11,12. & 12.4,8,31. & 18. 14. & 32.31. 1 *Sam.* 16.7. 1 *Reg.* 11.4,6. *Neh.*5. 14, 15. *Job.* 10. 4, 5. *Psal.* 1. 4, 6. *Prov.* 15. 7. *Isa.*55.8. *Jer.* 22. 15, 16, 17. & 51. 19. *Zech.* 1. 4. & 8. 11. *Mat.*6.2,3,5,6,7,8,16,32, 33. & 7. 29. & 20. 25, 26. & 25. 1, 2, &c. Et ver. 16, 17, 18. Et ver. 32, &c. *Joh.*2. 10. & 4.13,14. & 6.58. & 14.27. 1 *Cor.* 10. 6, 7,8,9,10. & 15.42,43, 44, 47. 2 *Cor.* 2. 17. & 3. 1. *Eph.*4.17,&c. 1 *Thess.*4.5. & 5.6. *Hebr.*9.25.

Exempla posterioris Generis.

Fortis dissimilis est lepori, damæ. Ignavus leoni, &c. ut ex Capite præcedente colligere licet.

Catullus.

Soles occidere, & redire possunt:
Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

*Job.*14.7,8,9,10,11,12. *Isa.*1.3. *Jer.* 8. 7. 2 *Cor.* 3.13.

Sic in omnibus Parabolis, Fabulis, Apologis, contrario modo applicatis.

Exempli

Exempli gratiâ.

Non ut Gallus gallinaceus præfert granum hordei omnibus gemmis, ita sapiens præfert exiguum commodum aut voluptatem corporis omnibus animi bonis.

Undecunque enim peti potest *Similitudo*, inde etiam in re contrariâ peti potest *Dissimilitudo.* Sic, Avibus, quæ æstate adsunt, hyeme avolant, falsi amici similes, veri dissimiles sunt.

CAP. XVIII.

De Paribus.

COmparata in quantitate sunt *Paria* & *Imparia.*

Notandum, Omnem comparationem in quantitate (sive Paritatem sive Imparitatem) præsupponere convenientiam in qualitate, id est, Similitudinem. Neque enim propriè dici possunt duæ res aut pariter aut impariter tales, nisi ambæ sint positivè & absolutè tales. Vide *Aristotelem* in *Categoriâ Qualitatis* sub finem Capitis. Quæ igitur aliter sonare videntur, figuratæ locutiones sunt: de quibus vide infrà in fine Capitis proximi.

Paria sunt, quorum eadem est quantitas, id est, quæ sunt æquali gradu.

Notæ parium sunt, Par, pariter, æquus, æquè, æqualis, æqualiter, æquare, adæquare, æquiparare, idem quod, tam quàm, tantum quantum, tanto quanto, eo quo, tot quot.

Item

Item, Negatio imparitatis, Non magìs, non minùs. Sic negatio cujusvis vocis comparativi aut superlativi gradûs; ut, Non melior, non doctior. Item verborum, quæ Imparitatem significant; ut, Nihil refert, nihil interest, non præpono, non antepono, non præfero, non antefero, non excello, non præcello, non antecello, non vinco. Et contra, Non posthabeo, non cedo, non concedo, non vincor.

Exempla Parium.

Consules *Romani* erant pares potestate; Cives omnes libertate.

Hor. lib. I. Od. 4.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres; id est, Pauperes & Reges sunt æque mortales.

*Cic.Offic.*9. Qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eâdem sunt injustitiâ, ut si in rem suam aliena convertant. Et ibid. 50. Quid est aliud, quàm aliis sua eripere, aliis dare aliena?

Idem ibid. 18. Quantò superiores sumus, tantò nos submissiùs geramus.

Idem in *Verr.*98. Si finem edicto Prætoris adferunt Calendæ *Januarij*, cur non initium quoque edicti nascitur ex Calendis *Januarij*? An in eum annum nemo progredi poterit edicto, quo Prætor alius futurus est; in eum, quo Prætor alius fuit regredietur?

Ibid. 189. *b.* Quamobrem enim Scriba deducat? Ac non potiùs mulio, qui advexerit? Tabellarius, cujus adventu certiores facti petiverunt? Præco qui adesse jussit? Viator ac Venereus, qui fiscum sustulit?

Quæ pars operis aut opportunitatis in Scriba eſt? Id eſt, Si Scriba poteſt deducere, pariter etiam mulio, tabellarius, præco, viator & venereus: Si hi non poſſunt, tum pari ratione nec Scriba poteſt.

Idem *Philippic.* 166. Si id quod me arguis voluiſſe interfici *Cæſarem*, crimen erit: etiam lætatum eſſe morte *Cæſaris*, crimen erit. Quid enim intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? Aut, quid refert utrùm volueris fieri, an gaudeas factum?

Juvenal. lib. 1. Satyr. 3. 143.

Quantum quiſque ſuâ nummorum ſervat in arcâ,
Tantum habet & fidei.

Virg. 6. *Æneid.*

Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus:
Si fratrem Pollux *alternâ morte redemit, &c.*
——— ——— *Quid* Theſea *magnum?*
Quid memorem Alciden? *Et mî genus ab* Jove *ſummo.*

Id eſt, Si *Orpheus*, *Pollux*, *Theſeus*, *Hercules* hoc fecerunt: Cur non & ego pariter faciam? Nam & ego proles *Jovis* ſum æquè ac illi.

Judic. 11. 24, 25. 1 *Sam.* 17. 37. 1 *Reg.* 19. 4. *Job.* 12. 3. & 13. 2. *Eccleſ.* 2. 16. & 3. 19, 20, 21. & 5. 15. *Amos* 6. 2. *Nahum* 3. 8, 9, 10. 1 *Cor.* 9. 5, 6, 13, 14. 2 *Pet.* 3. 8.

Si ratio Contrariorum ad Contraria ſit non tantùm ſimilis, ſed etiam æqualis: Exempla erunt hujus loci. Et ſic forte quædam ex iis, quæ Capite decimo ſexto adducta ſunt, ad hoc Caput referri poſſunt.

CAP. XIX.

De Imparibus; id est, *Majore & Minore.*

IMparia ſunt, quorum diverſa eſt quantitas; id eſt, Quæ differunt gradu. Suntque Majus & Minus.

Notæ Imparium ſunt, Impar, inæqualis, magìs, minùs, potiùs, inſuper, imprimis, maximè, præcipuè, præſertim, idque, ſaltem, imò veró.

Item omnes voces Comparativi & Superlativi gradûs; ut Doctior, doctiſſimus.

Item Verba, quæ iis æquipollent; ut Malo, præſto, anteſto, præcello, excello, antecello, præcedo, excedo, antecedo, ſupero, emineo, ſuperemineo, præeo, anteeo, vinco, præfero, antefero, præpono, antepono, intereſt, refert.

Item horum contraria; ut Cedo, concedo, poſthabeo, poſtpono, vincor, ſuperor.

Item, Non ſolùm ſed etiam, Non ſolùm ſed ne, nedum, tantum abeſt, adeo non, ne quidem.

Item, Negatio Paritatis aut Similitudinis vel Comparationis; ut, Non par, non pariter, non æquus, non æquè, non æqualis, non æqualiter, non æquare, non æquandus, non comparandus, non conferendus, non tam quàm, non tantus quantus, non tot quot, non talis qualis, non ſicut, non ſic, non ſimiliter.

Exempla Imparium.

Lunæ ſplendor minor eſt quàm Solis, major quàm Stellarum. Stellarum quantitas major eſt quàm Lunæ, minor quàm Solis. Ipſæ etiam Stellæ inter ſe impares ſunt tum magnitudine tum ſplendore.

Florus lib. 1. cap. 7. Superbia crudelitate gravior eſt bonis.

Cic. de *Amic.* 99. *b.* Hoc præſtat Amicitia Propinquitati, quòd ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitia non poteſt.

Idem in *Verr.* 202. Malo emere quàm rogare.

Idem ad *Attic.* 122. *b.* Malo cum *Pompeio* vinci, quàm cum iſtis vincere.

Idem pro *Plancio* 278. Si vitæ cupiditas contra Rempublicam turpis eſt: certè multò mortis cupiditas mea turpior fuiſſet cum pernicie Civitatis.

Idem pro *Rabirio* 92. *b.* *Porcia* lex virgas ab omnium civium *Romanorum* corpore amovit: hic miſericors flagella retulit. *Porcia* lex libertatem civium Lictori eripuit: *Labienus*, homo popularis, carnifici tradidit.

Idem in *Catilin.* 97. *b.* gradatim aſcendit à Minore ad Majus. Hic tamen vivit. Vivit? imò verò etiam in Senatum venit, fit publici conſilii particeps, notat & deſignat oculis ad cædem unumquemque noſtrûm.

Davus Ter. Phorm. Act. 1. Sc. 2.

————Abi ſis inſciens:
Cujus tu fidem in pecuniâ perſpexeris,
Vereris ei verba credere? ubi quid mihi lucri eſt
Te fallere?

Et *Heautont.* Act.5.Sc.1.

Non auderet hæc facere viduæ mulieri
Quæ in me facit.

Et *Adelph.* Act.1.Sc. 1.

Pudore & liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quàm metu.

Hor. lib.1. Ep.2.

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Ut teipsum serves, non expergisceris?

*Num.*24.7. *Judic.*8.2. *Ruth.*2.13. 1 *Sam.*15. 22. 2 *Sam.*19.7. 1 *Reg.* 5.6. & 4.30, 31. & 12.10, 11. 2 *Reg.*3. 2. & 14. 3. & 17. 2. & 18. 5. & 23. 22, 25. 2 *Chron.*9.19,22. *Job.* 12. 3. & 13.2. & 28.15,16,17, 18,19. *Psal.* 19. 10. & 84. 10. *Prov.* 3. 14, 15. & 8. 11, 19. & 16. 16,32. & 17. 10. & 18. 19, 24. & 19. 1,22. & 22.1. & 27.3,4,5,10. & 21.3. *Eccles.* 4. 6,9. & 7. 1, 2, 3, 19, 26. & 9.4,16, 17, 18. *Isa.*55.9. & 56.5. *Ezek.*15.5. *Mat.*6. 25, 26. & 11.9, 11. & 18.22. & 19.24. *Marc.* 12.33,43. *Luc.*7.9. & 11.27, 28. & 12.1,23,24,26,27,28. *Joh.* 7.46. & 16. 2. & 19.11. *Act.* 5. 29. & 20. 35. & 21. 13. *Rom.* 3. 2. 1 *Cor.*6.6,8. & 13.13. & 14.15, & vers.18, 19. 2 *Cor.* 3.7,8,9,11. *Gal.*6.10. *Phil.* 1.29. & 4.22. 1 *Tim.* 4.10. & 5.8,17. *Heb.*1.4. & 3.3. & 11.25,26. 2 *Pet.* 2. 10. 1 *Joh.*3.20. & 4.4. *Sirac.* 40. 18,19,20, 21, &c.

Gradatim *Gen.*22. 2. 1 *Sam.* 4. 17. *Jer.*24. 9, 10, 1 *Cor.*6.7,8.

A Majore ad Minus arguitur, *Judic.* 14. 16. 1 *Reg.* 8.27. 2 *Reg.*5.13. & 6.27. & 10.4. *Neh.*5. 8. & 13. 26,27. *Job.*4.18, 19. & 9.13,14. & 15. 15, 16. & 25.5, 6. *Prov.* 15. 11. & 19. 7, 10. *Jer.* 25. 29.

*Ezec.*15.15. *Mat.*9. 5, 6. & 10. 25. *Luc.* 16. 31. & 23.31. *Joh.*13.14. *Rom.* 8. 32. & 11. 21. & 15. 27. 1 *Cor.*6.2,3. & 9.11. *Gal.*2.14. 1 *Pet.*4.17,18.

A Minore ad Majus, *Gen.* 48. 11. *Exod.* 6. 12. 1 *Sam.*23.3. 2 *Sam.*4.10,11. *Job.*34.18, 19. *Prov.* 21.27. *Isa.*1.3. *Jer.*2.10, 11, 32. & 8. 7. & 12. 5. & 35.14. *Lam.*1.10. & 4.3. *Ezec.* 14.13, ad ver.21. *Jonæ* 4.10,11. *Malac.*1.8. *Mat.*6.26, 28, 29, 30. & 7.9,10,11. & 8.8, 9. & 12. 3, 4, 5, 6, 11, 12, 41, 42. *Luc.*7.44,45,46. & 11. 13. & 12. 6, 7, 26, 27, 28. & 13.15,16. & 14.5. & 16.11. & 18. 6, 7. *Joh.* 3. 12. & 7.23. & 14.5. *Rom.*5.8,9,10, 15, 17. & 11.12,15, 24. 1 *Cor.*9.9,10,12. 2 *Cor.*3.7,8,9,11. 1 *Tim.* 3.5. *Heb.* 2. 2, 3. & 9. 13, 14. & 10. 28, 29. & 12. 9, 25. 1 *Joh.*4.20. & 5.9. *Judith.*8.14. *Sapien.*9.16. *Sirac.*28. 3,4,5.

Aliquando Argumentum, quod unâ ratione est à Majore, aliâ ratione est à Minore, Et contrá. Ut, Quod magis difficile aut admirabile est, minùs est probabile.

Quod minùs malum est, magìs eligendum aut tolerandum est.

Quod affirmatum Majus est, negatum Minus est. Et contrá.

Teren.Adelp. 1. Act.1. Sc.1. Qui mentiri aut fallere insuerit Patrem, aut Audebit; multò magis audebit cæteros.

*Gen.*44.8. *Exod.*6.12. *Deut.* 31.27. 1 *Sam.* 23. 3. 2 *Sam.*12. 18. & 16. 11. 2 *Reg.* 5. 13. *Prov.* 19. 7. *Lam.* 1. 10. *Mat.* 10. 25. *Luc.*23. 31. *Joh.* 3. 12. *Rom.*5.8,9,10. 2 *Cor.*11.14,15. 1 *Joh.* 4. 20. *Sirac.* 10.31.

Quandoque plura Imparia complicantur, & fortius fit Argumentum.

Exempli

Exempli gratiâ.

Cic. Epist. fol.97. Nec putavi, cùm integri pares non fuissemus, fractos superiores fore.

Idem in *Verr.* 223. Eone tu servos ad spoliandum Templum immittere ausus es, quò liberos adire ne orandi quidem causâ fas esset?

Ibid. 229. *a.* Honestius est Reip. nostræ, ea quæ illis pulchra esse videantur Imperatorem nostrum in bello reliquisse, quàm Prætorem in pace abstulisse.

Idem in *Catil.* 97. An verò vir amplissimus P. *Scipio* Pontifex Maximus *Tiberium Gracchum* mediocriter labefactantem statum Reipublicæ privatus interfecit, *Catilinam* orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem nos Consules perferemus?

Idem pro *Flacco* 153. Quantum sibi ablatum homo impudentissimus dicit, tantum nunquam est ausus, ut haberet optare.

Idêm pro *Cœlio* 49. *a.* Quod facinus in alienum hominem illatum severè accepisset,&c. ad finem lin. 12.

2 *Sam.*16.11. 1 *Chron.*17.1. *Prov.* 14.11, 20. & 19.7. *Jonæ* 4.10,11. *Mat.*3.14. & 7.3. *Luc.*7. 44, 45, 46. & 15. 29, 30. 2 *Cor.* 11. 14, 15. *Gal.* 2. 14. *Judæ* ver.8,9.

Mat. 18. Si Dominus servo 10000 talenta remisit: multò magis servus conservo 100 denarios remittere debuit.

Imparia Ficta.

Cic. pro *S.Roscio* 30. Si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares, eique judicio *Chrysogonus* præesset, tamen diligentiùs paratiusque venisses; id est, multò magìs apud hos judices & hunc quæsitorem.

Et ibid. 37. Si hanc ei rem privatim *S.Roſcius* mandaſſet,&c. Nunc non hanc ei rem *S.Roſcius* mandavit, ſed (id quod multo gravius eſt) ipſe *S. Roſcius* cum famâ, vitâ fortuniſque omnibus à *Decurionibus* publicè *Roſcio* mandatus eſt.

Idem in *Ver.*186. Si mehercule te tuam pecuniam, non populi *Romani*, in provinciâ fœneratum docerem, tamen effugere non poſſes: Sed publicam, ſed ob frumentum decretam, ſed à publicanis fœnore accepto, hoc licuiſſe cuiquam probabis?

Idem *Philippic.* 172. Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi *Romani*, negotium publicum gerens, Magiſter equitum, cui vel ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum & totum Tribunal implevit. Vide *Quintilian*. lib.8.cap.4.

*Num.*22.18. *Ruth.*1.12,13. 2 *Sam.*18.12. 1 *Reg.* 13.8. 2 *Reg.*5.13. & 7.2. 1 *Cor.*13.1,2,3.

Vide plura lib.2.cap.13. §. *Excipe quòd in prolepticis.*

Figuratæ Locutiones.

1. Comparativum ponitur pro contrario poſitivi cum [*Minus.*]

Exempli gratiâ.

Curtius. Mare *Ponticum* dulcius eſt cæteris; id eſt, minùs ſalſum. Vide *Linac.* Gram. lib. 2. de partium *Enallage.*

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum;

Id eſt, minùs pretioſum. Sic Melius, pro minùs malo. Deterius pro minùs bono. Facilius pro minùs difficili.

*Gen.*38.26. *Exod.*14.12. *Prov.*21.9, 19. & 26. 12. *Eccleſ.*4.2,3. & 5. 5. & 6. 3. *Jer.* 3. 11. *Lam.* 4. 9.

Ezec.

*Ezec.*16.52. *Mat.*10.15. & 11. 22, 24. & 18.6, 8, 9. & 19.24. *Marc.* 9. 42. *Luc.* 16. 17. & 17. 2. *Joh.* 2.10. 1 *Cor.*7.9. & 9.15. 2 *Pet.*2. 21. *Sirac.* 20. 18, 25, 31.

2. Comparativum pro Negativo. Hoc potiùs quàm illud; id eſt, hoc non illud.

Cic. Epiſt. fol. 83. Iniquiſſimam pacem juſtiſſimo bello antefero; id eſt, Volo pacem, licèt iniquiſſimam: nolo bellum, licèt juſtiſſimum.

Job. 36.21. *Pſal.*52.3. *Prov.*15.16, 17. & 16. 8. & 17.1. & 19.1. & 25.7. & 28. 6, 23. *Eccleſ.*4. 13. & 5.1. & 7.5, 8. *Mat.* 10. 5, 6. & 21. 31. *Luc.*18.14. *Joh.*3.19. *Eph.*4. 28. & 5.4, 11. 1 *Tim.*1.4. *Heb.*11. 4.25. 1 *Pet.*3.17.

3. Contra, Negativum pro Comparativo. Hoc, non illud: id eſt, hoc potiùs quàm illud.

*Prov.*8.10. & 17, 12. *Hoſ.*6.6. *Joel* 2.13. *Luc.*10. 20. & 14.12, 13. *Joh.*6.27. 1 *Cor.* 1. 17. & 9. 9, 10. 1 *Tim.*2.9, 10, 14. 1 *Pet.*2.20. & 3.3, 4.

Negativum & Comparativum junguntur. *Luc.*10.20.

4. Negatio Majoris ponitur pro Minore. Et contrà, Negatio Minoris pro Majore.

Ennius de *Fabio*, *Cic. Offic.* 17.*b.*

Non ponebat enim rumores ante Salutem;

Id eſt, Ante ponebat ſalutem rumoribus.

Judic. 11. 25. *Amos* 6. 2. *Nahum* 3. 8. *Luc.* 6. 40. *Joh.*4.12. & 8.53. & 13.16.

CAP.

CAP. XX.

De Argumentis Ortis. Et primò De Nomine & Explicatione nominis.

DE Argumentis primis, tum Simplicibus tum Comparatis, dictum eſt.

Orta à primis ſunt vel vocis, vel rei.

Vocis ſunt, Nomen & Explicatio nominis, Nomen & Diſtinctio nominis.

Explicatio nominis eſt per Conjugata & Notationem.

I. *De Conjugatis.*

Conjugata ſunt voces ab eodem principio variè deductæ.

Ex. gr. Scribere, Scriptum, Scriptio, Scriptura, Scriptor, Scriptorius, Scripturarius, Scriptitare, Scriba.

Libertas, Liber, Liberè, Liberare, Liberatio, Liberator, Libertus, Libertinus.

Cic. pro *Flacco* 157.*b.* Deſinant putare, autoritatem eſſe in eo teſtimonio, cujus autor inventus eſt nemo.

Idem *Topic.* 221. *b.* Si compaſcuus eſt ager, jus eſt compaſcere.

Idem *Epiſt.* fol. 97.*b.* Si hæc civitas eſt, civem eſſe me.

Idem *Paradox.* 119. *b.* Si bene facta rectè facta ſint & nihil recto rectius: certè nec bono quicquam melius inveniri poteſt.

Ariſtot.

Ariſtot. Ethic. lib.8.cap.9. Κοινὰ τῶν φίλων, ἐν κοινωνίᾳ γὰρ ἡ φιλία.

Quid prodeſt peccanti non habere conſcium, habenti conſcientiam?

*Gen.*18.25. An judex totius terræ non faciet judicium? *Judic.*11.27. 1 *Sam.*24.13. & 25.25. *Pſal.*11.7. *Iſa.*11.13. Recedet invidentia *Ephraim*, & vexatores in *Juda* exſcindentur: *Ephraim* non invidebit *Judæ*, & *Juda* non vexabit *Ephraim*. & 32. 6. *Mat.* 11. 12. *Joh.*8.36,44. & 10.10,16. *Rom.*3. 26. & 7. 7. & 8. 24. & 13.1,2,8,9,10. 2 *Cor.*3.5,6. *Gal.*3. 6,7,8,9. 1 *Tim.*6. 17,18. *Jac.*4.4,10. 1 *Joh.*3.7. & 4. 7, 8. *Apoc.* 14. 2. *Sapien.*6. 10.

II. *De Notatione ſive Etymologiâ.*

Notatio, ſive Etymologia, eſt ratio nominis ab origine ejus.

Longiùs igitur petitur Notatio, quàm Conjugata.

Exempli gratiâ.

A Materiâ, Homo ab humo אָדָם ab אֲדָמָה *Gen.*2.7.

A Formâ. Animatum, & Animal, ab Animâ.

Ab Effecto. Focus, à fovendo. Fides quia fiat quod dictum eſt. *Cic. Offic.*5.*b.*

A Subjecto. Reus, cujus de re diſceptatur. *Cic.* de *Orator.*125. 138.

Ab Adjuncto. Æquor ab æquo. Cadaver à cadendo. Πτῶμα ἀπὸ τοῦ πίπτειν. נְבֵלָה à נָבַל

Ab Adjuncto temporis. Noctua quia noctu volat. Veſpertilio quia veſperi volat.

A Diſſentaneis. Lucus à non lucendo.

A

A Simili. Pyropus ἀπὸ τῦ πυρός.

*Gen.*2.23. & 3. 20. & 4. 1, 25. & 16.11. & 27.36. & 31.47,49. & 32. 2, 28, 30. & 33.17. *Exod.*12.27. *Num.*13.24.

Sic in multis propriis nominibus, præſertim hominum, & locorum.

Vitandæ autem ſunt ineptæ Notationes ſive Etymologiæ: quæ plerunque ex imperitiâ linguarum naſcuntur.

Exempli gratiâ.

Πάσχα à πάσχειν, quia tum paſſus eſt Chriſtus.

Cephas à κεφαλὴ, quia *Petrus* erat Caput Eccleſiæ.

Gloſſ. in *Extravagant. commun.* lib. 5. *De pœnitentiis & remiſſionibus*, fol. 35.

Apocriſiarius, ab Apos nuntius & Chriſis aurum. Gloſſ. in cap. *Significaſti. Extra de Electione* §.4. Vide *Panormitan.* ibid. Qui hanc notationem videtur aſſerere, joco an ſeriò neſcio.

Acedia ab acido. *Aquin.* Sum. 22æ. q.35. Art.1. c.

CAP.

CAP. XXI.

De Nomine & Distinctione nominis.

DIstinctio nominis est, quâ vox homonyma, sive æquivoca, in sua varia significata distinguitur.

Hæc varia significata eveniunt vel casu, vel consilio & ratione aliquâ.

1. Casu, cùm eadem vox significat plures res inter quas nulla est Affinitas sive Cognatio; adeoque cujus nulla ratio probabilis reddi potest.

Exempli gratiâ.

Malum pro pomo, & pro pravo. Populus pro gente, & pro specie arboris. Planta pro stirpe, & imâ parte pedis. *Gallus* pro *Franco*, & pro gallo gallinaceo. Hæc propriissimè dicuntur Homonyma sive Æquivoca: quia solo nomine sive voce conveniunt.

2. Consilio, sive ratione; cum inter res significatas est aliqua affinitas, adeoque aliqua ratio quare eodem nomine appellantur.

Exempli gratiâ.

Cùm vox accipitur aliàs propriè, aliàs tropicè, id est, Metonymicè, Synecdochicè, Ironicè, Metaphoricè; ut Ferrum pro gladio & pro materiâ ejus. Ecclesia pro Congregatione, & pro loco in quo Congregantur. Tectum, pro domo & pro superiore parte ejus. Flos agri, Flos lactis, Flos ætatis, Flos orationis, Flos populi, &c.

Item,

Item cùm vox accipitur (ut nulla fere non accipitur) aliàs latiùs, aliàs strictiús; ut, Virtus accipitur strictè pro Fortitudine, latè pro virtute morali in genere, latiùs ut comprehendit etiam virtutes intellectuales, latissimè pro cujusque rei vi sive potentiâ ad operandum.

Item cùm vox accipitur aliàs positivè, aliàs privativè; ut inhabitabile, pro eo quod potest, aut quod non potest inhabitari. Investigabile, pro eo quod potest, vel quod non potest investigari. *Rom.* 11.33.

Item cùm vox aliàs in bonam, aliàs in malam partem accipitur; ut Parsimonia pro Frugalitate, & pro Avaritia. Εὐτραπελία pro Urbanitate, & pro Scurrilitate, *Ephes.* 5.4. Otium aliàs pro Quiete, Pace, aut (ut *Seneca* interpretatur lib. 10. Ep. 74.) Arbitrio sui temporis, aliàs pro Desidiâ. Privilegium pro privatâ lege de aliquo, sive in ejus favorem vel commodum (ut vulgo) sive in ejus damnum & incommodum, ut communiter apud *Ciceronem*. Τύπος, Exemplum sive ad imitandum, ut *Philip.* 3. 17. 1 *Thess.* 1. 7. sive ad cavendum & vitandum, ut 1 *Cor.* 10.6,11. Ἐντυγχάνειν, propriè pro aliquo, ut *Rom.* 8. 34. *Hebr.* 7. 25. Sed & contrà *Act.* 25.24. *Rom.* 11.2. Ὑπόδειγμα, *Joh.* 13. 15. & contrà 2 *Pet.* 2.6.

CAP.

CAP. XXII.

De Definito & Definitione.

ARgumenta orta, quoad Rem, sunt Definitum & Definitio; Distributum & Distributio.

Definitum est, quod Definitione explicatur quid sit.

Definitio est, quâ explicatur quid Definitum sit.

Definitio & Definitum sint reciproca.

Partes Definitionis sunt Genus & Differentia.

Genus aliquando subintelligitur.

Differentia essentialis petitur à Formâ: Accidentalis, ab aliis Argumentis.

Hinc, Definitio ipsa est vel Essentialis, vel Accidentalis. Illa propriè dicitur *Definitio:* hæc Descriptio.

Utraque debet esse, quoad ejus fieri potest, Brevis & perspicua.

Exempla Definiti & Definitionis.

Definitum.	*Definitio.*
Substantia.	Ens per se subsistens.
Accidens.	Ens subsistens in & per substantiam.
Animatum.	Corpus animâ præditum.
Animal.	Animatum sensu præditum.
Homo.	Animal rationale, vel ratione præditum.
Punctum.	Cujus pars nulla.
Linea.	Longitudo non lata.
Superficies.	Quæ longitudinem latitudinemque habet.

Cir-

Circulus.	Figura plana ſub unâ lineâ comprehenſa, quæ vocatur *Peripheria*, ad quam ab uno puncto eorum quæ intra figuram ſunt poſita omnes cadentes rectæ ſunt æquales.
Centrum.	Punctum intra Circulum, à quo omnes rectæ ad Peripheriam ductæ ſunt inter ſe æquales.
Phyſica.	Corporum naturalium ſcientia.
Natura.	Principium motûs & quietis, in eo in quo ineſt primò & per ſe, & non ſecundum accidens.
Motus.	Actus ejus quod poteſtate eſt, quà tale eſt.
Ignis.	Elementum calidiſſimum & ſiccum.
Ethica.	Doctrina de moribus humanis ſecundum virtutem inſtituendis, ad bene beateque vivendum.
Virtus moralis.	Habitus electivus conſiſtens in mediocritate ad nos relatâ, & ratione definitâ ſicut vir prudens eam definierit.
Προαίρετον.	Ἑκούσιον προβεβουλευμένον.
Fortitudo.	Virtus mediocritatem ſervans circa metum & fiduciam in laboribus & periculis.
Temperantia.	Virtus mediocritatem ſervans circa voluptates corporis.
Amicitia.	Mutua & manifeſta inter homines benevolentia, ejus gratiâ qui amatur, ſuſcepta.
Logica.	Ars bene diſſerendi.
Cauſa.	Cujus vi res eſt.

CAP.

CAP. XXIII.

De Distributo & Distributione.

DIstributum est Totum, quod in suas partes distinguitur.

Distributio est Totius in partes suas distinctio.

Partes sint Toti consentaneæ, inter se dissentaneæ.

Partes simul sumptæ reciprocentur cum Toto.

Distributio est vel Partitio Integri in Membra, vel Divisio Generis in Species.

Exempla Partitionis Integri in Membra.

Integrum.	*Partitio in Membra.*
Corpus humanum.	Caput, Truncus, Artus.
Arbor.	Radix, Truncus, Rami.
Domus.	Fundamentum, Parietes, Tectum.
Mundus.	Cœlum, & Inferiora.
Aër.	Regio suprema, media, & infima.
Caput humanum.	Cranium, & Facies.
Annus.	Ver, Æstas, Autumnus, Hyems.
Logica.	Inventio, & Dispositio.
Comparatio Explicata.	Protasis, & Apodosis.
Definitio.	Genus, & Differentia.
Nux.	Nucleus, & Putamen.
Oratio.	Exordium, Narratio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

Gladius.	Capulus sive Manubrium, & Lamina sive Ferrum.

Sic quilibet Liber, Sermo, Tractatus, Historia, Epistola, Poëma, Fabula, &c. in suas integrantes Partes sive Membra distribui potest.

Huc pertinet etiam Distinctio Totius essentialis in suas partes essentiales, id est, Materiam & Formam, vel Materiale & Formale; ut Hominis in Corpus & Animam; Malefacti in Factum & Malitiam; Claudicationis in Motum & Obliquitatem motûs.

Exempla Divisionis Generis in Species.

Genus.	*Divisio in Species.*
Ens.	Substantia & Accidens.
Substantia.	Spiritus & Corpus.
Quantitas.	Magnitudo & Numerus.
Qualitas.	Habitus, Potentia, Passibilis, & Forma.
Actio.	Immanens, & Transiens.
Litera.	Vocalis, & Consonans.
Nomen.	Substantivum, & Adjectivum.
Argumentum.	Artificiale, & Inartificiale.
Causa.	Efficiens, Materia, Forma, Finis.
Dissentanea.	Diversa, & Opposita.

Divisio Generis in Formas sive Differentias Specierum, eadem est cum Divisione ejus in Species: Genus enim cum Formâ sive Differentiâ constituit Speciem.

Exempli

Exempli gratiâ:

Substantia.	Corporea, & Incorporea.
Quantitas.	Continua, & Discreta.
Animal.	Rationale, & Irrationale.
Causa.	A quâ, Ex quâ, Per quam, & Propter quam.
Dissentanea.	Ratione tantùm, Ratione & Re.

Distinctio cujusvis Generalis in sua Specialia per quascunque etiam accidentales Differentias, est quasi Divisio Generis in Species.

Exempli gratiâ.

Distinctio hominum Ratione Sexûs, in Mares & Fœminas; Ratione ætatis, in Senes & Juvenes; Ratione aliorum accidentium, in Bonos & Malos, Doctos & Indoctos, Nobiles & Ignobiles, Divites & Pauperes, Conjugatos & Cœlibes, &c.

In Distributione (sive Integri in Membra sive Generis in Species) non semper ambitiosè affectanda est *Dichotomia:* sed aliquando potiùs augendus est numerus partium, ut minuatur numerus Distributionum. Atque eo modo sæpe meliùs consulitur tum intelligentiæ tum memoriæ.

CAP. XXIV.

De Testato & Testimonio.

FUerunt Argumenta Artificialia. Restant Inartificialia: Testatum & Testimonium.

Testatum est cui Testimonium perhibetur.

Testimonium est, quod Testato perhibetur.

Tota vis Testimonii pendet ex autoritate Testis.

Testi autoritatem conciliant tria: *Scientia*, *Virtus*, & *Benevolentia.*

Testimonium est Divinum vel Humanum.

Divinum est quod à Deo perhibetur.

Fitque vel immediatè vel mediatè.

Item vel Verbo vel Re, *Joh.* 5. 36. & 10. 35. *Act.* 14. 17. & 15. 8.

Deus ad confirmandum Testimonium suum sæpe interponit juramentum suum: Et quoniam non potest jurare per majorem, jurat per seipsum. *Heb.* 6. 13. *Gen.* 22. 16. *Exod.* 32. 13. *Isa.* 45. 23. *Jer.* 49. 13.

Sic, quod idem est; Per Nomen suum. *Jer.* 44. 26.

Per Animam suam, *Jer.* 51. 14. *Amos* 6. 8. Per vitam suam, *Num.* 14. 21, 28. *Ezec.* 33. 11. (& sæpe alibi.) Per dextram suam, & per brachium roboris sui, *Isa.* 62. 8. Per Sanctitatem suam, *Psal.* 89. 35. Per excellentiam *Jacobi* (id est, per seipsum) *Amos* 8. 7.

Testimo-

Testimonium Humanum est, quod ab homine perhibetur.

Estque vel Commune vel Proprium.

Commune est plurium hominum simul.

Exempli gratiâ.

Fama vulgi; Sensus communis; Opinio communis; Jus scriptum & non scriptum; Archiva publica; Proverbia; Aliæ illustres sententiæ, quarum nullus extat singularis autor, quæque adeò jam publici juris factæ sunt, & quasi in Proverbia abierunt.

Proprium est singularis hominis seorsum. Idque tum in judiciis, tum extra judicia.

Testimonium etiam artificum in suâ cujusque arte, & scientia: ut, Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Historicorum. Item, Mercatorum, Agricolarum, Pastorum, Mechanicorum. Horum denique omnium vel vivorum, vel mortuorum.

Modi testandi varii sunt: viz. vel ore tenus, vel per Chirographum (id est Scriptionem aut Subscriptionem) vel per Sigillum. Unde *Cicero* ad *Quintum* fratrem 292. Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. Item per pignus. Item per solennia quædam signa sive ceremonias. Denique per res aut actiones quascunque.

Juramentum ab homine præstitum (sive Assertorium, sive Promissorium) est Modus testimonii humani cum provocatione ad Testimonium Divinum, quo scilicet Deus invocatur tanquam Testis veritatis & vindex falsitatis.

*Gen.*14.22. & 21.23, 24. & 24.2, 3. & 26. 28. & 31.53. & 47.29, 31. & 50. 25. *Exod.* 22. 11. *Num.* 5.19. *Jos.*2.12. & 9.15,18. *Judic.* 11. 10. *Neh.* 5. 12,13. *Jer.*34.18. & 42.5. *Rom.* 1.9. & 9.1. 1 *Cor.* 15.31. 2 *Cor.*1.13. *Phil.*1.8. 1 *Thess.*2.5.

Confessio est Testimonium hominis de seipso, & præsertim contra seipsum, sive liberum (quod validissimum est) sive expressum tormentis.

*Psal.*32.5. & 51.3,4.

Cic. pro *Quinctio* 14. *a.* Opinor tuum testimonium, quod in alienâ re leve esset, id in tuâ, quia contra te est, gravissimum debet esse.

Idem pro *Qu. Roscio* 46. Sed hæc quanquam firma esse video, tamen ipse mihi satisfacere non possum, nisi à *C. Fannio* ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. Magnum est quod conor, difficile quod polliceor: nisi eundem & adversarium, & testem habeat *Roscius*, nolo vincat.

Hinc, sæpe fit provocatio ad ipsum adversarium. Similiter ad ejus amicos, socios, advocatos, patronos, testes, judices, aut alios, quibuscum nobis res est.

Cic. pro *Quinctio* 9. *b.* 10. *a.* Quæro abs te *C. Aquili, L. Lucullе, P. Quintili, M. Marcelle, &c.* Profectò, Si vestram bonitatem atque prudentiam cognovi, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri.

*Gen.*31.6,37. *Deut.*32.31. *Jos.*24.14,22. 1 *Sam.* 17.3. & 24.10. & 25.8. 2 *Sam.*1.16. & 4.8,9,10,11. 2 *Chron.*29.8. *Isa.*5.3,&c. *Jer.*2.5. *Mic.*6.3. *Mat.* 12.27. *Joh.*3.28. & 8.46. & 18.23. *Act.*2.22, 23. & 4.19. & 10.28. & 20.34. & 22. 5, 12. & 24. 20. & 25.10. & 26.4,5,26. 1 *Cor.*11. 13, 14. *Gal.* 3. 2. 1 *Thess.*2.1, 5, 9, 10, 11. & 3.4. 2 *Thess.* 2.5. & 3. 7. *Tit.*1.12. *Hebr.*12.17. *Susan.*ver.61.

Fit

Fit etiam aliquando provocatio ad experientiam. *Cic.* in *Ver.* 113. *b.* Ecquis *Volcatio*, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Veniat nunc, experiatur, tecto recipiet nemo.

Ajax contra *Ulyssem. Ovid. Metam.*lib. 13.

Si perstas certare, locum redeamus ad illum.
Redde hostes, vulnusque tuum, solitumque timorem.
Post clypeumque late, & mecum contende sub illo.

*Gen.*31.32,37. *Num.*11.23. *Isa.*41.22, 23. & 47. 12,13. *Jer.*2.28. & 27.18. *Hagg.*2.18,19. *Mal.*1.8. & 3.10.

Testificatio aliquando tribuitur brutis & rebus inanimatis, *Gen.* 21. 30. & 31. 47, 48, 52. *Deut.*4.26. & 31.19,21. *Jos.*22.27,28,34. & 24.27. *Job.*16.8. *Isa.* 19.20. *Habac.*2.11,12. *Marc.*6.11.

*Gen.*14.22. & 21.23, 24. & 24.2, 3. & 26. 28. & 31.53. & 47.29, 31. & 50. 25. *Exod.* 22. 11. *Num.* 5.19. *Jos.*2.12. & 9.15,18. *Judic.* 11. 10. *Neh.* 5. 12,13. *Jer.*34.18. & 42.5. *Rom.* 1.9. & 9.1. 1 *Cor.* 15.31. 2 *Cor.*1.13. *Phil.*1.8. 1 *Thess.*2.5.

Confessio est Testimonium hominis de seipso, & præsertim contra seipsum, sive liberum (quod validissimum est) sive expressum tormentis.

*Psal.*32.5. & 51.3,4.

Cic. pro *Quinctio* 14. *a.* Opinor tuum testimonium, quod in alienâ re leve esset, id in tuâ, quia contra te est, gravissimum debet esse.

Idem pro *Qu. Roscio* 46. Sed hæc quanquam firma esse video, tamen ipse mihi satisfacere non possum, nisi à *C. Fannio* ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. Magnum est quod conor, difficile quod polliceor: nisi eundem & adversarium, & testem habeat *Roscius*, nolo vincat.

Hinc, sæpe fit provocatio ad ipsum adversarium. Similiter ad ejus amicos, socios, advocatos, patronos, testes, judices, aut alios, quibuscum nobis res est.

Cic. pro *Quinctio* 9. *b.* 10. *a.* Quæro abs te *C. Aquili, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle, &c.* Profectò, Si vestram bonitatem atque prudentiam cognovi, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri.

*Gen.*31.6,37. *Deut.*32.31. *Jos.*24.14,22. 1 *Sam.* 17.3. & 24.10. & 25.8. 2 *Sam.*1.16. & 4.8,9,10,11. 2 *Chron.*29.8. *Isa.*5.3,&c. *Jer.*2.5. *Mic.*6.3. *Mat.* 12.27. *Joh.*3.28. & 8.46. & 18.23. *Act.*2.22, 23. & 4.19. & 10.28. & 20.34. & 22. 5, 12. & 24. 20. & 25.10. & 26.4,5,26. 1 *Cor.*11. 13, 14. *Gal.* 3. 2. 1 *Thess.*2.1, 5, 9, 10, 11. & 3.4. 2 *Thess.* 2.5. & 3. 7. *Tit.*1.12. *Hebr.*12.17. *Susan.*ver.61.

Fit

Fit etiam aliquando provocatio ad experientiam. *Cic.* in *Ver.* 113. *b.* Ecquis *Volcatio*, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Veniat nunc, experiatur, tecto recipiet nemo.

Ajax contra *Ulyssem.* *Ovid. Metam.*lib.13.

Si perstas certare, locum redeamus ad illum.
Redde hostes, vulnusque tuum, solitumque timorem.
Post clypeumque late, & mecum contende sub illo.

*Gen.*31.32,37. *Num.*11.23. *Isa.*41.22, 23. & 47. 12,13. *Jer.*2.28. & 27.18. *Hagg.*2.18,19. *Mal.*1.8. & 3.10.

Testificatio aliquando tribuitur brutis & rebus inanimatis, *Gen.* 21. 30. & 31. 47, 48, 52. *Deut.*4.26. & 31.19,21. *Jos.*22.27,28,34. & 24.27. *Job.*16.8. *Isa.* 19.20. *Habac.*2.11,12. *Marc.*6.11.

APPENDIX
AD
Librum Primum.

De Prædicabilibus & Prædicamentis.

PRædicabilium & Prædicamentorum Doctrina adeò necessaria ad Logicam vulgò putata fuit, ut absque hac ne fundamenta quidem hujus artis jacta esse videantur.

Ne quid igitur hîc à nobis desideretur, hanc rationem breviter reddendam esse arbitramur; viz.

1. *De Prædicabilibus.*

Prædicabilia quidem (quæ dicuntur quinque; Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens) ad Logicam propriè pertinere agnoscimus, & unicuique eorum locum suum inter Argumenta assignavimus: viz. *Generi* & *Speciei*, Cap.8. *Proprio* & *Accidenti*, Cap.7. *Differentiæ*, Cap.5. 22, & 23.

Non autem hæc sola, sed & reliqua etiam Argumenta de pluribus prædicari apta nata sunt, adeóque pari jure, atque illa quinque, dici possunt *Prædicabilia.*

2. De

2. *De Prædicamentis.*

Prædicamenta autem ſive *Categoriæ*; ſi conſiderentur ut ſumma genera ſive Capita Entium, ad *Metaphyſicam* referenda ſunt, cujus eſt tractare de Ente quatenus eſt *Ens*. Si autem deſcendatur ad Subordinata genera & Species, quæ ſub iis continentur (ut fieri ſolet in Tabulis ſive Scalis ſingulorum Prædicamentorum) efficientur inde ſpecialia variarum Artium & Scientiarum Subjecta. Quæ in Logicâ uſurpantur ſolummodo, ut Præceptorum ejus Exempla.

Prædicamenta autem ſive *Categoriæ* decem numerantur: *Subſtantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Ad aliquid*, *Actio*, *Paſſio*, *Quando*, *Ubi*, *Situs*, *Habitus*.

Quorum primum eſt Subjectum reliquorum, reliqua ejus Accidentia.

De his omnibus, qui volet, conſulat vulgus Logicorum, & ei ſatis aut etiam plus ſatis fiet.

LIBER

De Praedicamentis.

Praedicamenta autem sive *Categoriae*, si consideremus Entia generalia sive Capita summa, ad *Metaphysicam* referenda sunt, cujus est tractare de Ente quatenus est *Ens*. Si autem descendatur ad Subordinata genera & Species, quae fiunt (cum inter se conferuntur hae fieri solent Tabulae sive Scalae singulorum Praedicamentorum) efficiuntur inde specialia variarum Artium & Scientiarum Subjecta. Quae in Logica usurpantur solummodo ut Praeceptorum ejus Exempla.

Praedicamenta autem sive *Categoriae* decem numerantur, *Substantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.*

Quorum primum est Subjectum reliquorum, reliqua ejus Accidentia.

Pluribus ea qui volet, consulat vulgus Logicorum; & ei satis aut etiam plus satis fiet.

LIBER SECUNDUS,

DE

Dispositione,

SIVE

JUDICIO.

- *A* Liber Secundus agit de Dispositione sive Judicio
  - In Genere — 1
  - Ejusque Speciebus: Quæ sunt,
    - 1. Propositio: De qua
      - In Genere. — 2
      - Ejusque Speciebus: Quæ sunt
        - Simplex, sive *Categorica*, De qua
          - Pura: De cujus
            - Partibus, Vinculo, & Quantitate. — 3
            - Affectionibus: Quæ sunt,
              - Suppositio. — 4
              - Conversio. — 5
              - Relatio. — 6
              - Æquipollentia. — 7
          - Modalis. — 8
        - Composita, sive *Hypothetica*: De qua
          - In Genere. — 9
          - Ejusque
            - Speciebus: quæ sunt,
              - Connexa. — 10
              - Disjuncta. — 11
              - Copulata. — 12
              - Discreta. — 13
            - Affectionibus: quæ sunt,
              - Enallage. — 14
              - Hypothesis & Consequentia. — 15
              - Æquipollentia & Contradictio
                - inter se. — 16
                - cum Categoricis. — 17
              - Decompositio. — 18
              - Complicatio partium. — 19
    - 2. Argumentatio. *Tabula B.*
    - 3. Methodus. — 46

B Argu-

- B Argumentatio: Cujus
  - Forma,
    - Perfecta, Syllogiſmus: De quo
      - In Genere, — 20
      - Ejuſque Speciebus: quæ ſunt
        - Categoricus,
          - Communis: De quo
            - In Genere, — 21
            - In Specie,
              - De ſingulis Figuris earumq; Modis)
                - Primâ, 22
                - Secundâ, 23
                - Tertiâ, 24
              - Deque Conſectariis
                - 1. De conformatione Quæſtionum ad Figuras & Modos, 25
                - 2. De Formatione ſive Completione ejus ex datâ materiâ, 26
                - 3. De Reductione ejus,
                  - Directâ, 27
                  - Obliquâ, 28
          - Singularis, — 29
        - Hypotheticus: De quo
          - In Genere, — 30
          - Ejuſque
            - Speciebus quæ ſunt
              - Connexus ſive Conditionalis, 31
              - Disjunctus, — 32
              - Copulat. ſive Diſcretus, 33
            - Affectione, ſcil. Reductione ad
              - Se invicem, — 34
              - Categoricos, & contra, 35
    - Imperfecta de quâ
      - In Genere, — 36
      - Ejuſque ſpeciebus: Quæ ſunt
        - Enthymema, — 37
        - Syllogiſmus Rhetoricus, 38
        - Inductio, — 39
        - Exemplum, — 40
        - Sorites, — 41
        - Dilemma, — 42
        - Biaion, — 43
  - Uſus, ad Diſputationem: Quæ eſt
    - Socialis, — 44
    - Solitaria, — 45

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Dispositione in Genere.

DIspositio, sive Judicium, est secunda pars Logicæ de disponendis Argumentis ad bene judicandum.

a In hoc Secundo Libro in calce singulorum Capitum præcipuas Regulas Versibus etiam astrinximus; tum lucis, tum compendii, tum memoriæ causâ.

b Dispositioni accidit Crypsis: Quæ est naturalis dispositionis occultatio. Estque triplex; In Excessu, in Defectu, & in Transpositione.

Ut autem vera & naturalis dispositio restituatur; quæ desunt supplenda, quæ supersunt amputanda, quæ denique transposita sunt, in suos quæque locos reponenda sunt.

Posse verò his Crypsibus uti, quando opus est, easdemque quando opus est detegere & ad naturalem dispositionem reducere, perfecti dialectici est.

Versiculi,

Versiculi.

a Versiculos libro placet adjecisse Secundo.
Istos Versiculos prosa explicat; hanc simul isti,
Et simul abbreviant, simul & meminisse juvabunt.
b In disponendo triplex est Crypsis; eamque
Recte adhibere aut detegere est perfectæ opus artis.
Deficit, excedit, membrorum invertitur ordo.
Adjice quæ desunt, & demas si qua supersunt,
Si qua invertuntur, disponas ordine recto.

CAP. II.

De Dispositionis Speciebus. Et primò, De Propositione in genere, deque ejus generalibus tum Principiis, tum Affectionibus.

a Dispositio triplex est: *Propositio*, *Argumentatio*, & *Methodus*.

Propositio est dispositio Argumenti cum Argumento, quâ esse aliquid vel non esse judicatur.

Aristoteli dicitur Ἀπόφανσις· Aliis Ἀξίωμα. Latinè, *Pronuntiatum*, *Pronuntiatio*; *Enuntiatum*, *Enuntiatio*; *Proloquium*, *Effatum*, *Axioma*.

b In omni Propositione duo consideranda sunt tanquam principia ejus essentialia: Partes tanquam materiale, & Vinculum tanquam formale.

c Affe-

c Affectiones generales omnium Propositionum tres sunt: Qualitas ex Voce, Qualitas ex Re, & Qualitas ex Modo.

I. *De Qualitate ex Voce.*

Qualitas Propositionis ex Voce, est *Affirmatio* & *Negatio.* *Aristoteli* Κατάφασις, καὶ Ἀπόφασις.

d Hinc Contradictio (*Aristoteli* Ἀντίφασις) cùm eadem Propositio affirmatur & negatur.

Affirmata Propositio est, cujus vinculum affirmatur.

Negata est, cujus vinculum negatur.

e Potest autem quævis Propositio esse Affirmata ex partibus Negatis, & Negata ex partibus Affirmatis. Cùm enim de totius Propositionis qualitate quæritur, non respicitur ad Partes sive Materiale, sed ad Vinculum sive Formale. Vide Cap. 3. §. *Itaque Verbo*; & Cap. 9. §. *Itaque è Conjunctione.*

Cuivis Propositioni contradici potest præponendo negationem toti, vel tollendo præpositam: modò tamen negatio referatur ad Vinculum, non ad partes. Vide Cap. 7. §. *Negatio præposita.*

f Interrogatio sæpe æquivalet contradictioni: Et quidem Affirmata fortiùs negat, Negata fortiùs affirmat.

Exempli gratiâ.

An? id est, Nequaquam. An non? id est, Certè, Omnino.

Num. 12.2. 1 *Sam.* 14.30. & 20.9. & 24.19. 1 *Reg.* 1.24. 2 *Reg.* 4.28. & 5.26. *Job.* 1.9, 10. & 10.9, 10. & 11.2, 3. & 14.16. *Eccles.* 1.10. *Isa.* 36.12. & 58.5, 6, 7. *Jer.* 6.15. *Lam.* 3.38. *Ezec.* 18.23. *Zech.* 8.6. *Luc.* 6.39. *Joh.* 13.6, 8. 1 *Cor.* 9.1, 4, 5, 6, 8, 9, 10, 11, 12, 13. & 11.22. & 12.29, 30. *Heb.* 10.2.

Quis? Nunquis? id eſt, Nullus. Quis non? id eſt, Omnis.

1 *Sam.*12.3. 2 *Sam.*22.32. *Job.* 9. 4, 12. & 14. 4. & 41.10,11,13,14. *Pſal.*27.1. & 73.25. & 89. 6, 8, 48. *Nahum* 3.19. *Mat.*5.46,47. & 12.11. *Luc.*12. 14,25. & 14. 5. & 15.4, 8. *Act.* 7. 52. & 10. 47. *Rom.*11.34,35. 1 *Cor.* 9. 7. *Heb.* 1. 5, 13. 1 *Pet.* 2. 20.

Quid? id eſt, Nihil. Quid non? id eſt, Omnia.

Gen. 44. 16. *Eccleſ.* 1. 3. *Iſa.* 5. 4. *Mat.* 16.26. 1 *Cor.*4.7. *Sirac.*34.25,26.

Cur? id eſt, Nullâ ratione. Cur non? id eſt, Omni ratione.

*Gen.*44.7. *Num.*27.4. *Judic.*11.26. *Nehem.* 2. 3. *Job.* 3.11,12,20. *Iſa.*5.4. *Mat.*26.10. *Marc.*2.7,8,16, 18,24. *Luc.*19.23. 1 *Cor.* 4.7.

Quomodo? id eſt, Nullo modo. Quomodo non? id eſt, Omni modo.

*Gen.*39.9. & 44.8,34. *Num.*23.8. *Joſ.*9.7. 2 *Sam.* 1.14. & 2.22. 2 *Reg.*10.4. *Pſal.* 137. 4. *Mat.* 12. 26,29,34. & 16.11. & 22.45. & 26.54. *Marc.*3. 23. *Joh.*3.4,9,12. & 5.44,47. & 6.52. & 14.5. *Rom.*6.2. & 8.32. & 10.14,15. 1 *Cor.*14.7,9, 16. 2 *Cor.* 3. 8. *Heb.*2.3. 1 *Joh.*3.17. & 4.20.

Quando? id eſt, Nunquam. Quando non? id eſt, Semper. *Mat.*25.37,38,39,44.

Ubi? id eſt, Nuſquam. Ubi non? id eſt, Ubique.

*Job.*17.15. & 20.7. & 21.28. & 38.4. *Pſal.*42. 3. *Iſa.*19.12. & 51.13. *Jer.*3.2. *Luc.*8.25. & 17.17,18. 1 *Pet.*4.18.

II. De

II. *De Qualitate ex Re.*

Qualitas Propositionis ex Re, est Veritas & Falsitas.

Vera Propositio est, quæ pronunciat ut res est.

Falsa est, quæ pronunciat aliter ac res est.

g Contradictionis semper altera pars vera est, altera falsa.

h Si Propositio minùs dicat, quàm verè dicere posset: Vera quidem est, at significationem sive speciem habet falsi, aut ridicula est. Quando enim minus dicit; videtur ei, quod plus est, contradicere.

Exempli gratiâ.

Aliquis homo est animal; quasi Aliquis non esset. Aliquis ignis non est frigidus; quasi Aliquis esset. Possibile aut probabile est id quod sentit vivere; quasi non necesse esset. Non si album est, nigrum est; pro, Si album est, nigrum non est. Homo aut rationalis aut mortalis est; pro, Et rationalis & mortalis est. Et Sol ortus est, & etiam dies est; quasi posset Sol ortus esse, & tamen dies non esse. Quanquam grave est, tamen tendit deorsum; pro, Si vel Quia grave est, ideo tendit deorsum.

III. *De Qualitate ex modo.*

Qualitas Propositionis ex modo, est Necessitas, Impossibilitas, & Contingentia (sive Possibilitas.)

Necessaria Propositio est, quæ ita vera est, ut falsa esse non possit; ut Homo est animal. Homo non est brutum.

Impossibilis est, quæ ita falsa est, ut vera esse non possit; ut, Homo est brutum. Homo non est animal.

Contingens (vel Possibilis) est, quæ vel ita vera est, ut falsa esse possit, vel ita falsa ut vera esse possit; ut, Dives est avarus. Dives non est avarus.

i Contingentiam & Possibilitatem pro uno & eodem modo ponimus. Propriè autem & distinctè loquendo, ut Necessaria est necessariò vera, & Impossibilis necessariò falsa; ita Contingens est contingenter vera, & Possibilis est contingenter falsa.

Exempli gratiâ.

Aliquis dives est avarus, & Aliquis dives non est avarus, sunt contingenter veræ, id est, ita veræ ut possint esse falsæ: Contra, Omnis dives est avarus, &, Nullus dives est avarus, sunt Possibiles, vel contingenter falsæ, id est, ita falsæ, ut possint esse veræ. Sed non opus est tam exquisitâ distinctione.

Versiculi.

a *Dispositum est, Effatum, Argumentatio, & Ordo.*
b *Materia Effati sunt Partes, Formaque Vinc'lum.*
c *Ex voce, Affirmatum dicitur atque Negatum:*
Ex re, Verum & Falsum est: Exque modo variato,
Contingens, Impossibile, atque Necesse vocatur.
d *Affirmando negandoque Contradictio fiet.*
e *Sive affirmatæ sint partes, sive negatæ;*
Totius affirmatio sive negatio, Vinc'li est.
f *Quærendo fortis fit contradictio: Nempe*
Affirmata negat validè, affirmatque Negata.
g *Dividit à vero omnis Contradictio falsum.*
h *Si minus est dictum quàm verè dicere posses:*

Falsè

Falsè aut ridiculè dictum illud jure putetur.
i *Contingentem & Possibilem conjungo ut eandem:*
Cùm tamen hæc propriè sit falsa, & vera sit illa.

CAP. III.

De Propositione Simplice sive Categoricâ.

PRopositio est vel Simplex sive Categorica, vel Composita sive Hypothetica.

Simplex sive Categorica Propositio est, cujus Partes sunt termini Simplices, Vinculum autem Verbum.

Itaque Verbo Affirmato affirmatur, Negato negatur. Vide Cap. 2. §. *Affirmata*; & Cap. 9. §. *Itaque à Conjunctione.*

a Hæc proprie Indicativo Modo enuntiatur, & sine Interrogatione. Sed & in reliquis Modis est aliquid simile; quod ad Indicativum reduci potest; ut, Fac hoc, id est, impero, vel permitto, ut facias. Utinam facias, id est, opto ut facias.

Categorica Propositio, si absque Modo adjecto enunciatur, appellatur *Pura*: si cum Modo, *Modalis*.

De Pura ejusque affectionibus præcipuè agemus hoc & quatuor sequentibus Capitibus: Quæ Modali facilè & breviter applicabuntur, Cap.8.

b Partes ejus sunt Subjectum & Prædicatum.

Subjectum est quod antecedit Vinculum; vel, est id, de quo aliquid dicitur: Aliàs, Antecedens.

Prædicatum est quod sequitur Vinculum; vel, est id, quod de aliquo dicitur: Aliàs, Consequens.

Vinculum est Verbum conjungens Subjectum & Prædicatum: Aliàs, Copula.

Exempli gratiâ.

In hac Propositione [*Homo est Animal*] vel [*Homo non est animal*;] *Homo*, est Subjectum, sive Antecedens: *Animal*, est Prædicatum, sive Consequens: *Est*, est Vinculum, sive Copula.

c Quoad sensum, idem significant Negatio prædicati affirmato Vinculo, & Negatio Vinculi affirmato prædicato.

Exempli gratiâ.

Idem est dicere [*Homo est non brutum*,] & [*Homo non est brutum*.] Item [*Homo non potest* (vel, non est potens) *ambulare*,] & [*Homo est non potens ambulare*.]

Differt autem [*Homo potest* (vel est potens) *non ambulare*.] Hîc enim Negatio non est totius prædicati, sed solummodo partis ejus.

Hujus Regulæ usum vide Cap. 5. §. *Similiter*. Et Cap. 17. §. *Hôc ut appareat*.

d Vinculum propriè dictum, est solummodo Verbum *Sum* tertii (ut vocant) Adjecti, id est, nihil aliud significans nisi meram partium Copulationem. Reliqua omnia Verba continent Verbum *Sum*, & aliquid præterea Adjectum, quod sit Prædicatum aut pars ejus; ideoque dicuntur Verba Adjectiva. Sic & ipsum Verbum *Sum* secundi (ut vocant) Adjecti, id est, significans aliquid præter Copulationem partium, nempe ipsum Prædicatum, aut partem ejus.

Hinc, Propositio Categorica est vel Explicita, vel Implicita.

Explicita

Explicita est, cujus Vinculum est Verbum *Sum* tertii Adjecti, sive separatum à partibus; ut in Exemplis suprà datis.

Implicita est, cujus Vinculum implicatur in Verbo Adjectivo connotante prædicatum aut partem ejus.

Exempli gratiâ.

Homo vivit; Pater diligit filium; Juvenis erit senex; Senex fuit juvenis; Providentia est; Fatum non est.

*Psal.*58.11. *Prov.*23.18. *Luc.*1.5. *Job.* 1. 1, 2, 6. & 5.5. *Act.*23.8. & 24.15. *Heb.*11.6.

Aliquando Subjectum etiam implicatur, & Propositio ad unum Verbum contrahitur; ut, Pluit, Pugnatur, Peccatur, Pœnitet, Tæder, Pudet, Piget.

e Quævis Propositio implicita Explicari potest, solvendo Verbum Adjectivum in Verbum Substantivum [*Sum*,] & Participium vel Relativum: ut in exemplis datis, Homo est vivens; Pater est diligens filium; Juvenis est futurus senex; Senex est is qui fuit juvenis; Providentia est existens; Fatum non est existens; Pluvia est pluens; Pugna est pugnata; Peccatum est commissum; Pœnitentia est acta,&c.

Hujus Explicationis usum, & quidem necessitatem vide Cap.5. §.*Propositio implicita.* Et sic ubicunque est usus Conversionis: ut Cap. 17. §.*Horum etiam singulis.* Et Cap.27. §. *Per Conversionem.*

Propositioni Categoricæ propriè & peculiariter accidit Quantitas. Cujus ratione est vel Communis, vel Singularis.

Communis est, cujus Subjectum est vox Communis.

Estque vel Definita, vel Indefinita.

Definita est, in quâ signum quantitatis exprimitur.

Estque Universalis vel Particularis.

Universalis est, cujus Signum est Universale, Omnis, Nullus; ut, Omne animal est rationale. Nullum animal est rationale.

Hîc Signum [*Omnis*] accipiendum est distributivè, de omnibus & singulis; non collectivè de omnibus simul sumptis, ut in his [*Omnia elementa sunt quatuor. Omnes partes reciprocantur cum toto.*] Vide Cap. 12. §. *Ut Propositio.*

Particularis est, cujus Signum est particulare, Aliquis, Quidam; ut, Aliquod animal est rationale. Aliquod animal non est rationale.

Indefinita est, cujus Subjectum est vox Communis, & nullum Signum expresse ei apponitur; ut, Animal est rationale. Animal non est rationale.

Accipitur nunc Universaliter, nunc Particulariter, pro ratione Materiæ, & intentione Loquentis.

Singularis est, cujus Subjectum est vox Singularis; ut, Hoc animal est rationale; Hoc animal non est rationale. *Socrates* est rationalis; *Socrates* non est rationalis.

f Ex Qualitatibus (Cap. 2.) cum Quantitate conjunctis cognoscitur tota vis Propositionis Categoricæ. Quæ duabus quæstionibus interrogari potest.

Prior quærit Quantitatem, cum Qualitate ex voce; id est, Utrùm Propositio sit Universalis affirmata, an Universalis negata: Particularis affirmata, an Particularis negata: Indefinita affirmata, an Indefinita negata: Singularis affirmata, an Singularis negata.

Hinc intelligitur quid quæque Propositio pronuntiet sive significet.

Altera quærit Qualitatem ex Re, & ex Modo; id est, Utrum sit Vera necessaria, vera contingens; Falsa impossibilis, an falsa contingens, sive possibilis.

Hinc

Hinc intelligitur, quàm rectè aut secus quæque Propositio pronunciet, sive significet.

g Cùm autem Propositiones Singulares (ut Voces & Res singulares, lib. 1. cap. 2.) sint solummodo Secundarium Subjectum hujus & aliarum Artium; Indefinitæ autem nihil certi significent, adeoque nullum certum judicium de iis fieri possit, nisi quatenus reducuntur ad Universales vel Particulares: restant igitur præcipuè & hîc, & in sequentibus considerandæ reliquæ quatuor, viz.

h Universalis affirmata,	Quarum signa sunt	Omnis.	Notæ	A
Universalis negata,		Nullus.		E
Particularis affirmata,		Aliquis.		I
Particularis negata,		Aliquis non.		O

Crypses Propositionis Categoricæ.

1. Aliquando deest Vinculum; ut, Homo bulla; Homo homini lupus. Hoc in linguâ Hebræa frequentissimum est.

2. Aliquando Partes invertuntur; ut *Cic. Offic.* 5. *b.* Fundamentum Justitiæ est fides. Et ibid. 37. Malus est custos diuturnitatis metus. Et *Juvenal. Sat.* 8.

Nobilitas sola est atque unica virtus.

Prov. 10.6, 11, 12. & 20.2, 3, 5. *Mat.* 6. 22. & 12. 8. *Joh.* 1.1. *Rom.* 10.4. 1 *Cor.* 10.4. & 11.3. 2 *Cor.* 3.2; 1 *Tim.* 6.6, 10.

3. Aliquando utrumque fit; ut, Dulce bellum inexpertis.

Num. 23.19. *Prov.* 3.32. & 9.10. & 10.4. & 19.17. & 20.1, 5, 15, 17, 19, 23, 26, 27, 29. & 21.1, 17, 18. & 22.14. & 23.27. *Mat.* 10. 36. *Joh.* 4. 24. *Rom.* 10.4. &

& 13.10. 1 *Cor.*8.4. & 15.56. *Gal.*3.10,13. *Heb.* 1. 8. & 6.16. *Sirac.*21.9.

Hinc sæpe oritur ambiguitas. *Ex. gr. Prov.* 10. Latinus interpres eadem verba aliter reddit ver. 6. aliter ver.11. Et cap. 21. 17. Græcus invertendo pervertit prius hemistichium. Idem faciunt & Græcus & Latinus, Cap.18.17.

4. Aliquando fit Crypsis in excessu; viz.

Per Repetitionem, *Exod.*5.17. *Deut.*16. 20. *Judic.*5. 7,&c. Et interpositâ Parenthesi, *Psal.*92. 9. & 93. 3. & 94. 3. & 96. 7. & 124. 1. *Isa.* 57. 6, 19. & 62. 10.

Per Appositionem sive Explicationem, *Job.* 13. 14. *Act.*10.22. *Rom.*1.1.

Per Compositionem: Cùm Propositio simplex constat ex partibus compositis, *Prov.* 12. 9. & 15.16, 17. & 17.1. & 19.1. & 28. 6,8. *Eccles.* 4. 13. *Luc.*8. 21. & 11.34. *Act.*10.1,2,3. 1 *Cor.*11.4,5. *Heb.*13.20,21. 1 *Job.*2.4,9. *Apoc.*1.9.

Vide Cap.12. §. *Contra.*

Versiculi.

a *Indicat Effatum propriè, haud interrogat unquam,*
Imperat, aut hortatur, permittit, vetat, optat,
Aut Subjunctivè, aut Infinitivè adhibetur.
Hæc tamen Effatorum sunt prægnantia sæpe,
Aut referunt: Itaque illorum ad leges referuntur.
b *Simplicis Effati (seu Puri sive Modalis)*
Partes Subjectum atque Adjectum, Copula Verbum.
c *Par est, sive neges Verbum partemve secundam.*
d Sum *facit Explicitam; Implicitam reliqua omnia verba;*
Atque ipsum verbum Sum, *Adjecti quando Secundi est.*

e *Verbum*

e *Verbum Adjectivum in Substantivum ipse resolvas:*
Implicitam quoque ad Explicitam simul ipse reducas.
f *Quanta appellantur vulgo simul* Un. Par. *&* In. Sin.
g *Verùm sic propriè duo tantùm prima vocantur.*
h *Asserit* A. *negat* E. *verùm generaliter ambo.*
Asserit I. *negat* O. *sed particulariter ambo.*

CAP. IV.

De Affectionibus Propositionum Categoricarum. Et primò de Suppositione.

a EX iis quæ dicta sunt oriuntur quatuor Affectiones sive Accidentia Propositionum Categoricarum: viz. *Suppositio*, *Conversio*, *Relatio*, & *Æquipollentia.* Quæ omnia magni usûs sunt ad rectè judiçandum.

Suppositio est quantitatis terminorum in Propositione Categoricâ acceptio; id est, docet cujus quantitatis uterque terminus (Subjectum & Prædicatum) supponatur accipi in unaquaque Propositione Categoricâ.

b Hujus Regulæ duæ sunt, juxta duos illos Terminos.

1. Subjectum semper est ejusdem quantitatis cum totâ Propositione; id est, supponit sive, accipitur in Universali universaliter; in Particulari particulariter; in Indefinitâ indefinitè; in Singulari singulariter.

2. Prædi-

2. Prædicatum (si sit Vox communis) supponit sive accipitur in omni Affirmatâ (etiam Universali) Particulariter, in omni Negatâ (etiam Particulari) Universaliter.

Singulare non potest propriè accipi nisi Singulariter. Sed si opus est, & si ita loqui liceat, sequitur Regulas Communium.

Exempla harum Regularum.

Omnis homo est animal; id est, Omnis homo est aliquod animal.

Nullus homo est brutum; i. e. Omnis homo est nullum brutum.

Aliquod album est dulce; i. e. Aliquod album est aliquod dulce.

Aliquod album non est dulce; i. e. Aliquod album est nullum dulce.

Socrates est Philosophus; i. e. *Socrates* est aliquis Philosophus.

Socrates non est Rex; i. e. *Socrates* est nullus Rex.

Hinc facilè judicatur de significatione, adeoque de veritate aut falsitate cujusvis Propositionis Categoricæ.

c Hinc etiam apparet, Majorem esse vim (cæteris paribus) in Universali, quàm in Particulari, nempe ratione Subjecti; item in Negatâ quàm in Affirmatâ, ratione Prædicati.

Versiculi.

a Suppono, Verto, Refero, *Æquivalentia monstro.*
b A. *prius Extremum reddit generale, sed alt'rum*
Particulare facit. Generale E. *reddit utrumque.*
Particulariter I. *quicquid sibi sumit, habebit.*

Parti-

Particulare prius facit O. *generale secundum.*
Pro solo ac certo Sing'lare assumitur uno.
c *Major vis est in Generali, quàm in Speciali.*
Inque Negatâ, quàm Affirmatâ, est vis quoque major.

CAP. V.

De Conversione propositionum Categoricarum.

CONversio Propositionis Categoricæ est apta Subjecti & Prædicati commutatio.

a Hoc Caput præcedenti proximè adjungimus, quia hoc ex illo planè & immediatè dependet, tanquam ex causâ & fundamento suo. Eam enim dicimus *Aptam* commutationem, quæ congruit Suppositioni sive Acceptioni quantitatis utriusque termini in unaquaque Propositione Categoricâ juxta Regulas traditas Capite præcedente.

Differt hæc Conversio ab Inversione (de quâ suprà in *Crypsibus*, Cap. 3.) Ibi enim licet inverso ordine partes ponantur, tamen Subjectum manet Subjectum, & Prædicatum manet Prædicatum. Hìc autem inter se mutantur, Subjectum in Prædicatum, & Prædicatum in Subjectum. Vide Cap. 10. §. *Differt.*

b Propositio Implicita explicanda est antequam convertenda.

Conversio triplex est; *Simplex*, *Attenuata*, & *Per contrapositionem.*

I. *Simplex*

I. *Simplex.*

c Simplex conversio est, in quâ iisdem terminis transpositis eadem remanet quantitas; id est, ex Universali colligitur Universalis, & ex Particulari particularis.

Ita convertitur Universalis negata, & Particularis affirmata.

Exempli gratiâ.

Nullus lapis sentit: Ergo, Nullum sentiens est lapis. Item, Aliquod album est dulce: Ergo, Aliquod dulce est album.

In his enim Subjectum & Prædicatum eodem modo supponunt; id est, sunt ejusdem quantitatis.

Similiter etiam converti potest Particularis negata, mutatâ prius negatione Vinculi in negationem Prædicati, (ut docetur Cap. 3: §. *Quoad sensum.*)

Exempli gratiâ.

Aliquod animal est non homo: Ergo, Aliquod non homo est animal.

Non autem sic, Ergo, Aliquis homo non est animal, Quia sic plus esset in Prædicato conversæ, quàm erat in Subjecto convertendæ. Subjectum enim Convertendæ erat Particulare, Prædicatum autem Conversæ fit Universale.

II. *Attenuata.*

d Attenuata Conversio est, in quâ transpositis terminis minuitur quantitas; id est, Ex Universali colligitur particularis.

Sic

Sic convertitur Universalis affirmata.

Exempli gratiâ.

Omnis homo est animal: Ergo, Aliquod animal est homo.

Non autem sic, Ergo, Omne animal est homo. Quia sic plus esset in Subjecto Conversæ, quàm erat in Prædicato Convertendæ. Prædicatum enim Convertendæ erat Particulare, Subjectum autem Conversæ fit Universale. Vide Cap. 10. §. *Non autem.*

Si quando autem Universalis affirmata convertitur simpliciter, id fit ratione materiæ, non formæ: id est, vi terminorum, non ex naturâ Propositionis. Ut, Omnis homo est risibilis; Et, Omne risibile est homo. Itaque non dicitur Conversio propositionis, sed Conversio terminorum. Quia *Homo* & *Risibilis*, sunt termini convertibiles. Vide Cap. 10. §. *Excipe.*

III. *Per Contrapositionem.*

e Per Contrapositionem Conversio est in quâ Partes transpositæ insuper etiam mutantur in suas Contradictorias, eâdem manente qualitate & quantitate totius Propositionis.

Hoc modo convertitur Universalis affirmata, & Particularis negata.

1. *Universalis Affirmata*; ut,

Omnis homo est animal: Ergo, Omne non animal est non homo.

Omnis homo est non brutum: Ergo, Omne brutum est non homo.

Omne quod non est Substantia est Accidens: Ergo, Omne quod non est Accidens, est Substantia.

Omne

Omne non vivens est non sentiens: Ergo, Omne sentiens est vivens. Vide Cap. 10. §. *Convertitur. Joh.* 5.23. 1 *Joh.* 3.6.

2. *Particularis Negata*; ut,

Aliquod animal non est homo: Ergo, Aliquid non homo (vel, quod non est homo) non est non animal; id est, Est animal.

Aliquis non dives non est mendicus: Ergo, Aliquis non mendicus non est dives.

Sed hæc conversio referri potest ad Simplicem conversionem Particularis affirmatæ; ut supra §. *Similiter etiam.*

f In Conversione Simplice & Per Contrapositionem, Convertenda & Conversa mutuò se inferunt, adeoque sunt planè una & eadem Propositio. In Conversione autem Attenuatâ Convertenda infert Conversam (id est, Universalis particularem) sed non contrà. Vide Cap. 6. §. *Subalternæ possunt.*

Versiculi.

a *Vertendi ratio est, utriusque acceptio partis.*
b *Implicitam redde Explicitam, & tum denique verte.*
c E. I. *simpliciter vertendo, signa manebunt,*
d *Attamen* A. *cum vertere vis, cape signa minora.*
e *Si contraponas, muta Affirmata Negatis;*
A.O. *sic versis, eadem quoque signa manebunt.*
f *Contraponendo si vertas, Simpliciterve:*
Ex Convertendâ semper Conversa sequetur,
Et contrà. Quod si convertas Attenuatè:
Versa à Vertendâ, non hæc infertur ab illâ.

CAP.

CAP. VI.

De Relatione Propositionum Categoricarum ad se invicem.

PRopositiones Categoricæ quadrifariam ad se invicem referuntur: viz.ut Contradictoriæ, Contrariæ, Subcontrariæ, & Subalternæ. Quarum duæ priores Oppositionem important, duæ posteriores minimè.

a Contradictoriæ sunt Universalis & Particularis, altera Affirmata, altera Negata; ut, Omne animal est rationale, Aliquod animal non est rationale. Item, Nullum animal est rationale, Aliquod animal est rationale. Sic duæ singulares; ut, *Socrates* est rationalis, *Socrates* non est rationalis.

b Contrariæ sunt duæ Universales, altera Affirmata, altera Negata; ut, Omne animal est rationale, Nullum animal est rationale.

c Subcontrariæ sunt duæ Particulares, altera Affirmata, altera Negata; ut, Aliquod animal est rationale, Aliquod animal non est rationale.

d Subalternæ sunt Universalis & Particularis, pariter Affirmatæ, vel pariter Negatæ; ut, Omne animal est rationale, Aliquod animal est rationale. Item, Nullum animal est rationale, Aliquod animal non est rationale.

Diagramma Relatarum.

Omnis dives eſt avarus.	Contrariæ.	Nullus dives eſt avarus.
Subalternæ.	Contradictoriæ. Contradictoriæ.	Subalternæ.
Aliquis dives eſt avarus.	Subcontrariæ.	Aliquis dives non eſt avarus.

Leges Singularum.

e *Contradictoriæ* non poſſunt eſſe aut ſimul veræ, aut ſimul falſæ. Vid. Cap. 2. §. *Contradictionis.*

f *Contrariæ* poſſunt eſſe ſimul falſæ, ſed non poſſunt eſſe ſimul veræ.

g *Subcontrariæ* poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed non poſſunt eſſe ſimul falſæ.

h *Subalternæ* poſſunt eſſe vel ſimul veræ, vel ſimul falſæ. Sed in veritate, Particularis ſequitur Univerſalem, non contrá: in falſitate, Univerſalis ſequitur Particularem, non contrá.

i Ex his omnibus maximè notandæ ſunt *Contradictoriæ.*

Verſiculi.

Versiculi.

a A.O. *sunt sibimet Contradictoria, &* E.I.
Sic Sing'laria sunt, Affirmatum atque negatum.
bc *Sunt Contraria* A.E. *sunt Subcontrariaque* I.O.
d *Suntque subalternatim &* A. I*que &* E. O*que relata.*
e *Vera aut falsa queunt nec* A. O. *nec* E. I. *simul esse.*
f A. E. *falsa queunt, non vera queunt simul esse.*
g I.O. *vera queunt, non falsa queunt simul esse.*
h *Vera aut falsa queunt vel* A. I. *vel* E. O. *simul esse :*
In vero at partes, in falso tota sequuntur.
i *Præcipuè tibi sint* Contradictoria *nota.*

CAP. VII.

De Æquipollentiâ Propositionum Categoricarum.

ÆQuipollentia Propositionum in genere est duarum Propositionum Verbis differentium eadem significatio.

Hæc ad rectè judicandum plurimum conducit: quandoquidem omnis Propositio est ejusdem tum Quantitatis, tum Qualitatis ex voce, re, & modo, cum eâ, cui æquipollet.

a Propositiones Categoricæ inter se relatæ, fiunt sibi invicem Æquipollentes per variam appositionem Particulæ negativæ. Ideo præcedenti Capiti, *De Relatione Categoricarum*, subjungitur hoc, *De earum Æquipollentiâ.*

Apponitur autem Particula negativa Signo tribus Modis: viz. *Præ*, *Post*, & *Præ postque.*

I. *Præ.*

Negatio præposita cuivis signo facit Propositionem Æquipollere suæ Contradictoriæ. Cap.2.§.*Cuivis Propositioni.*

Exempli gratiâ.

Non omnis,		Aliquis non.
Non nullus,	id est,	Aliquis.
Non aliquis,		Nullus.

1. Non

1. Non omnis; id est, Aliquis non.

Cic. de *Senect.* 90,91. Ut non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit.

*Levit.*16.2. *Deut.*12.13. 1 *Reg.*11.13. *Eccles.*7.21. *Mat.*7.21. & 19.11. *Joh.*13.10,11,18. *Rom.*9. 6. & 10.16. 1 *Cor.* 8.7. & 10.23. & 12.29, 30. & 15. 39. 2 *Thess.*3.2. *Heb.*3.16. 1 *Joh.*2.19. & 4.1.

Sic, Non semper, vel, Non in æternum; id est, Aliquando non. *Gen.*6. 3. 1 *Reg.* 11. 39. *Psal.* 9. 18. *Prov.* 27.24. *Isa.*57.16. *Mat.*26.11. Non ubique, id est, Alicubi non. Οὐ πάντως, 1 *Cor.*5.10.

2. Non nullus; id est, Aliquis. Non nihil; id est, Aliquid, vel Aliquantum. Non nunquam; id est, Aliquando. Non nusquam; id est, Alicubi.

Cic. Epist. fol. 64. *a.* Et te non nunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi.

Idem pro *Quinct.*1. Non nihil commoveor; id est, Aliquantum.

Idem pro *Muræna* 138. *b.* Consilium tuum non nullâ in re forsitan emendare possim.

Idem de *Senect.* 93. *b.* Nolite arbitrari, me, cùm à vobis discessero, nusquam aut nullum fore.

3. Non aliquis, Non ullus, Non unus; id est, Nullus. Non unquam; id est, Nunquam. Non usquam; id est, Nusquam.

Cic. de *Or.* 94. Non mihi videtur ars Oratoris esse ulla.

Exod. 8. 31. & 9. 4, 6, 7. & 10. 19. *Num.* 31. 49. *Deut.*2.7. *Jos.*23.14. 1 *Reg.* 4.27. *Joh.*5.37. *Rom.*3.10. 2 *Pet.* 3.9.

Excipe, quòd Negatio præposita universali affirmatæ non raró æquipollet Contrariæ, præsertim in Linguâ Hebræâ & Hellenisticâ; ut, *Exod.* 10. 15. & 20.

20.4,10,17. *Levit.* 18.6. *Num.* 16.26. *Deut.* 8.9. & 12.19. & 14.3. & 18.1. & 20.16. & 22.19. *Judic.* 13.4. & 19.19. 1 *Sam.* 2.32. & 3.14. 2 *Sam.* 12.3. & 15.11. 2 *Reg.* 4.2. *Psal.* 31.1. & 34.22. & 49.17. & 119.133. & 143.2. *Prov.* 11.21. & 13.7. & 30.30. *Eccles.* 1.9. & 2.10. *Isa.* 56.2. *Jer.* 12.12. & 13.7,10. & 17.22. & 18.18. & 32.17,23,27. & 35.19. & 51.43. *Mat.* 5.34. & 24.22. *Luc.* 1.37. *Joh.* 10.28. & 11.26. & 13.8. *Rom.* 3.20. 1 *Cor.* 1.29. & 8.13. *Gal.* 2.16. *Apoc.* 7.1,16. & 9.4. & 21.27. *Tobit* 4.18.

II. *Post.*

Negatio postposita Signo (sc. *Universali*) facit Propositionem Æquipollere suæ Contrariæ; ut, Omnis non; id est, Nullus. Nullus non; id est, Omnis.

1. Omnis non; id est, Nullus: ut, Omnis bene sibi conscius non timet; id est, Nullus bene sibi conscius timet.

Exod. 12.16,43,48. & 15.26. *Levit.* 3.17. & 22.10,20,21. *Num.* 30.5,12. (aliàs ver. 6,13.) *Job.* 2.10. *Psal.* 25.3. *Prov.* 2.19. & 20.1. *Isa.* 54.17. *Jer.* 2.24. *Ezec.* 18.22. & 33.16. *Mat.* 12.25. *Marc.* 7.18. *Luc.* 14.33. & 21.15. *Joh.* 3.15,16. & 6.39. & 11.26. *Act.* 11.8. *Rom.* 9.33. *Ephes.* 4.29. & 5.3,5. 2 *Pet.* 1.20. 1 *Joh.* 2.16,21,23. & 3.6,9,10,15. & 4.3. & 5.18. 2 *Joh.* ver. 9. *Apoc.* 18.22. & 22.3. *Sirac.* 48.13.

Aliquando autem Universalis affirmata, postpositâ Negatione, Æquipollet suæ Contradictoriæ; ut, Omnes docti non sunt prudentes, pro, Non omnes docti sunt prudentes; id est, Aliqui docti non sunt prudentes.

Rom. 12.4. 1 *Cor.* 15.51. *Sirac.* 10.6.

2. Nul-

2. Nullus non; id eſt, Omnis: ut, Nullus ſibi malè conſcius non timet; id eſt, Omnis ſibi malè conſcius timet.

*Exod.*12.30. *Deut.*3.4. *Joſ.*8.17,35. 1 *Reg.*8.46. & 10.3. 2 *Reg.*10.21. *Jer.*49.36. *Mat.* 10.26. & 24.2. *Marc.*10.29,30. *Luc.* 8.17. & 12.2. & 18. 29,30. *Heb.*2.8. & 12.7.

III. *Præ poſtque.*

Negatio Præpoſita & Poſtpoſita cuilibet Signo, facit Propoſitionem Æquipollere ſuæ Subalternæ; ut, Non omnis non; id eſt, Aliquis. Non nullus non; id eſt, Aliquis non. Non aliquis non, vel, Non ullus non; id eſt, Omnis.

Exempli gratiâ.

Non omne animal non eſt rationale; id eſt, Aliquod animal eſt rationale. Non nullum animal non eſt rationale; id eſt, Aliquod animal non eſt rationale. Non aliquod animal non ſentit; id eſt, Omne animal ſentit.

Cic. de *Senect.* 83. Nec ulli bonarum artium Magiſtri non beati putandi; id eſt, Omnes bonarum artium Magiſtri ſunt beati putandi.

Idem de *Fin.*61. *b.* Neque Stultorum quiſquam beatus, neque ſapientum non beatus; id eſt, Nulli ſtulti, Omnes ſapientes, ſunt beati.

*Deut.*3.4. 2 *Sam.* 17.22. 1 *Reg.*10.3. 2 *Reg.*10.21. & 20.13,15.

b Ex dictis patet, Datâ quacunque Propoſitione Categoricâ dari poſſe duas alias Categoricas ei Æquipollentes.

Exempli gratiâ.

1. Omnis, { Nullus non. Pòst contra.
Non aliquis non. Præ postq; subalter.

2. Nullus, { Omnis non. Pòst contra.
Non aliquis. Præ contradict.

3. Aliquis, { Non nullus. Præ contradict.
Non omnis non. Præ postq; subalter.

4. Aliquis non, { Non omnis. Præ contradict.
Non nullus non. Præ postq; subalter.

Diagramma Relatarum, & Æquipollentium simul.

Omnis. Nullus non. Non aliquis non	Contrariæ.	Nullus. Omnis non. Non aliquis.
Subalternæ.	Contradictoriæ. Contradictoriæ.	Subalternæ.
Aliquis. Non nullus. Non omnis non.	Subcontrariæ.	Aliquis non. Nõ omnis. Non nullus non.

Versiculi.

Verſiculi.

a *Particulam variè variis appone negantem:*
Præ contradict, Pòſt contrà, Præpoſtque Subalter.
b *Ter ternis Effata modis quævis referuntur:*
Terque novenis quæque modis ſi ſingula ſpectes.

CAP. VIIII.

De Propoſitionibus Modalibus.

a MOdales Propoſitiones ſunt, in quibus loco Signorum ponuntur Modi: Neceſſe, Impoſſibile, Contingens vel Poſſibile, Contingens non vel Poſſibile non.

Neceſſe,	habet vim ſigni	Univerſalis affirmati,	Omnis.
Impoſſibile,		Univerſalis negati,	Nullus.
Contingens vel poſſibile,		Particularis affirmati,	Aliquis.
Contingens non, vel poſſibile non,		Particularis negati,	Aliquis non.

b Modales ſimiliter ſupponunt, convertuntur, referuntur, & æquipollent, ut Puræ. Regulas igitur ex quatuor præcedentibus Capitibus repetitas, hîc ſolummodo exemplis Modalium illuſtrabimus.

I. *Sup-*

I. *Suppositio Modalium.*

Necesse est hominem esse animal; id est, Omnis homo est aliquod animal.

Impossibile est lapidem esse animal; id est, Omnis lapis est Nullum animal.

Contingit, vel possibile est animal esse hominem; id est, Aliquod animal est aliquis homo.

Contingit, vel possibile est animal non esse hominem; id est, Aliquod animal est nullus homo.

II. *Conversio Modalium.*

Simplex.

Impossibile est album esse nigrum: Ergo, Impossibile est nigrum esse album.

Contingit, vel possibile est, album esse dulce: Ergo, Contingit, vel possibile est, dulce esse album.

Attenuata.

Necesse est hominem esse animal: Ergo, Contingit, vel possibile est animal esse hominem.

Per Contrapositionem.

Necesse est hominem esse animal: Ergo, Necesse est non animal esse non hominem.

Contingit, vel possibile est, album non esse dulce: Ergo, Contingit, vel possibile est, non dulce non esse non album; id est, non dulce esse album.

III. *Re-*

III. *Relatio Modalium.*

Diagramma.

Neceſſe eſt eſſe.	Contrariæ.	Impoſſibile eſt eſſe.
Subalternæ.	Contra-dictoriæ. Contradictoriæ.	Subalternæ.
Contingit vel poſſibile eſt eſſe.	Subcontrariæ.	Contingit vel poſſibile eſt non eſſe.

IV. *Æquipollentia Modalium.*

Præ contradict.

Non neceſſe eſt eſſe: Contingit vel poſſibile eſt non eſſe.

Non impoſſibile eſt eſſe: Contingit vel poſſibile eſt eſſe.

Non contingit, vel Non poſſible eſt, eſſe: Impoſſibile eſt eſſe.

Poſt contra.

Neceſſe eſt non eſſe: Impoſſibile eſt eſſe.

Impoſſibile eſt non eſſe: Neceſſe eſt eſſe. Compara *Mat.*18.7. cum *Luc.*17.1.

Præ

Præ postque subalter.

Non necesse est non esse: Contingit vel possibile est esse.

Non impossibile est non esse: Contingit, vel possibile est, non esse.

Non contingit, vel non possibile est, non esse: Necesse est esse. *Act.* 4.20.

Hinc, Datâ quacunque Propositione Modali, dari possunt duæ aliæ Modales ei Æquipollentes.

Exempli gratiâ.

1. Necesse est esse, { Impossibile est non esse. Pòst contrá. Non contingit, vel Non possibile est non esse. Præ postque subalter.

2. Impossibile est esse, { Necesse est non esse. Pòst contrá. Non contingit, vel Non possibile est esse, Præ contradict.

3. Contingit vel possibile est esse, { Non impossibile est esse. Præ contradict. Non necesse est non esse. Præ postque Subalter.

4. Contingit vel possibile est non esse, { Non necesse est esse. Præ contradict. Non impossibile est non esse. Præ postque Subalter.

Diagramma

Diagramma Propositionum Modalium Relatarum & Æquipollentium simul.

Necesse est esse. Impossibile est non esse. Non contingit, vel non possibile est non esse.	Contrariæ.	Impossibile est esse. Necesse est non esse. Non contingit, vel non possibile est esse.
Subalternæ.	Contradictoriæ. Contradictoriæ.	Subalternæ.
Cōtingit vel possibile est esse. Non impossibile est esse. Non necesse est non esse.	Subcontrariæ.	Contingit, vel possibile est non esse. Non necesse est esse. Non impossibile est non esse.

Versiculi.

a *Singula Signa Modi supplent : Sic nempe Necesse, est*
Pro signo Omnis stans : Impossibile, est quoque Nullus :
Contingens, Aliquis : Contingens non, Aliquis non.
b *Ut puræ, supponunt, Vertunturque Modales ;*
Atque etiam ut puræ pariter referuntur & æquant.

C A P.

CAP. IX.

De Propositione Compositâ, sive Hypotheticâ in Genere.

DE Propositione Simplice sive Categoricâ egimus:

De Compositâ sive Hypotheticâ restat agendum.

a Eandem Propositionem Compositam atque Hypotheticam appello: Quia in omni Compositâ est aliqua Hypothesis & Consequentia, sive Illatio alicujus Consequentis ex aliquo Antecedente, ut videbitur Cap. 15.

Hanc partem Logicæ (quæ permagni usûs est, tum in se tum in ordine ad Syllogismos Hypotheticos) eò longiùs & diligentiùs persequendam putavi, quò magìs eam à plerisque neglectam esse video. Ei igitur excolendæ hóc & decem sequentia Capita tribuere, operæ pretium fore existimavi.

b Propositio Composita, sive Hypothetica est, cujus partes sunt integræ Propositiones, Vinculum Conjunctio.

c Itaque è Conjunctione affirmatâ affirmatur, negatâ negatur. Neç refert utrùm partes sint affirmatæ an negatæ; ut suprà Cap. 2. §. *Affirmata.* Et §. *Negata.* Et Cap. 3. §. *Itaque verbo.*

d Contradicitur ei in se uno fere modo, nempe eo de quo dictum est Capite secundo, Præponendo negationem toti, aut tollendo præpositam. Sed & alio quocunque modo, Vinculo affirmato vel negato.

e Con-

e Conjunctionis vocabulum hîc latè accipimus pro quavis particulâ Propositiones integras conjungente, sive sit ea, quæ à Grammaticis specialiter sic dicitur, sive alia aliqua pars Orationis.

f Pro varietate Conjunctionum variæ sunt etiam Propositionum Hypotheticarum species. Præcipuæ autem & ad quas reliquæ reduci possunt, quatuor sunt; *Connexa*, *Disjuncta*, *Copulata* & *Discreta*.

g Conjunctio aliquando omittitur, ut in quatuor sequentibus Capitibus videbitur. Aliquando implicatur in Participio; ut Cap.10,11,13. Aliquando una Conjunctio pro aliâ ponitur; ut Cap.14. per totum. Quænam autem sit vera & propria Conjunctio, adeoque cujus speciei Propositio sit, ex partium inter se affectione intelligitur.

h Propositionis hypotheticæ specie cognitâ, proprietates sive qualitates ejus duabus quæstionibus interrogantur; viz. 1. Qualitas ex voce, viz. utrùm sit Affirmata an Negata, adeoque quid significet sive pronunciet. 2. Qualitas ex re & modo, viz. utrùm sit Vera necessaria, Vera contingens; Falsa impossibilis, an Falsa contingens sive possibilis, adeoque quàm rectè aut secus pronunciet.

Quantitatem Hypotheticæ propriè non habent: sed tamen habent aliquid instar, ut videbitur Cap. 17.

i Propositiones Connexæ & Discretæ ex binis tantùm partibus semper constant, Antecedente nimirum & Consequente: Disjunctæ & Copulatæ nullo certo numero partium definiuntur. Veruntamen & in his, quotcunque fuerint partes, omnes possunt reduci ad binas, idque variè, viz. ponendo unam quamlibet aut plures pro *Antecedente*, reliquam reliquasve pro *Consequente*: ut videbitur Cap.11, & 12.

k De

K De Conversione Hypotheticarum distinctiùs & fusiùs dicetur in singulis speciebus. Hîc tantùm breviter dicimus, Connexam converti per Contrapositionem, reliquas tres species Simpliciter. In omnibus autem Convertendam & Conversam æquipollere, adeoque ex se mutuò inferri, & planè pro unâ atque eâdem sumi; ut Cap. 5. §. *In Conversione.*

L De Æquipollentiâ verò & Contradictione harum specierum inter se dicetur Cap. 16. Cum *Categoricis* Cap. 17.

Versiculi.

a *Composita in se omnis supponit conditionem,*
Ex aliquoque aliquid (quicquid sit) perpetuò infert.
b *Effata integra sunt Partes, Conjunctio Vinc'lum.*
c *Sive igitur Verba affirmentur, sive negentur,*
Affirmatque negatque tibi Conjunctio Totum.
d *Ex aiente negante que Contradictio fiet,*
Particulam præponendo aut tollendo negantem.
e *Hîc autem accipimus vocem* [Conjunctio] *latè.*
f *Necto, disjungo, jungo discernoque partes.*
g *Neglectum, implicitum, mutatum quomodocunque*
Sit Vinc'lum; quod sit, membrorum affectio monstrat.
h *Qualis quæque fiet de voce, est Quæstio prima:*
Qualis de re, deque modo fiet, altera quærit.
Quanta licèt propriè non sit, quantæ est tamen instar.
i *Partes duntaxat necte & discernito binas.*
At quotcunque voles, junge & disjungito plures.
Has plures iterum ad binas (varieque) reducas.
K *Contraponendo Connexam vertito solam.*
Simpliciter reliquas species convertere debes.
Convertenda & Conversa hîc sumuntur ut una.

L *Quæ*

L *Quæ quibus Æquivalentia sint monstrabitur infra,*
Atque Categoricis, quocunque modo referantur.

CAP. X.

De Propositione Connexâ. Et primò, De Conditionali.

PRopositio Connexa est, cujus Conjunctio est Connexiva, id est, quâ suspenditur, & infertur ipsum Consequens ex ipso Antecedente.

Hanc ex Hypotheticis primo loco ponimus: utpote ex quâ reliquæ omnes pendent; & ad quam, tanquam ad normam suam referuntur, cujus denique ratione dicuntur Hypotheticæ, ut dictum est Cap. 9. & ampliùs dicetur Cap. 15, & 16. Itaque de hac etiam prolixiùs quàm de reliquis agemus.

a Hujus tres sunt species; *Conditionalis*, *Causalis*, & *Relativa*. In quarum primâ neutra pars θετικῶς, sive positivè accipitur; in Secundâ, utraque: Tertia similis est nunc primæ nunc secundæ, ut infrà hoc Capite videbitur de Singulis.

I. *De Conditionali.*

Conditionalis Propositio est; cujus Conjunctio est conditionalis, *Si*, *Nisi*.

Hæc specialissimè & propriissimè dicitur Connexa, & Hypothetica: quia in hac (ut modò dictum est) Neutra pars θετικῶς sive positivè accipitur, sed solummodo

modo Consequens connectitur, suspenditur, & infertur ex Antecedente,

Exempli gratiâ,

Affirmatæ; Si homo est, animal est. Si leo est, equus non est. Si sanus non est, æger est. Si non vivit, non sentit.

Negatæ; Non si largus est, liberalis est. Non si misericors est, justus non est. Non si album non est, nigrum est. Non si corpus non est, substantia non est.

Affirmata significat, ipsum Consequens sequi ex ipso Antecedente: Negata, non sequi.

b Vera igitur est affirmata, quando Consequens revera sequitur ex Antecedente: Negata quando non sequitur; ut in Exemplis datis. Et *Mat.* 6. 14, 15. 2 *Tim.* 2. 11, 12. 13. 1 *Joh.* 1. 6, 7, 8, 9, 10. & 3. 21. 1 *Cor.* 15. 14, 15, 16, 17, 18, 19.

Falsa est Affirmata, quando Consequens non revera sequitur ex Antecedente: Negata, quando sequitur, ut in datorum Exemplorum contradictoriis. Et *Gen.* 3. 4, 5. *Ezr.* 4. 13. 16. *Job.* 1. 11. & 2. 5. *Mat.* 4. 9. *Luc.* 4. 6, 7. & 16. 30. *Joh.* 18. 30. & 19. 12.

Hinc apparet, Conditionalem affirmatam veram esse posse ex utrâque parte falsâ; ut *Gen.* 18. 26, &c. *Num.* 16. 29. 1 *Reg.* 22. 28. *Joh.* 8. 19, 39, 42, 54, 55. & 13. 8. 1 *Cor.* 15. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19. *Gal.* 1. 8, 9, 10. & 2. 18, 21. & 3. 18, 21. Vide infrà §. *Atque hujus.*

E contrà, falsa esse potest ex utrâque parte verâ.

Exempli

Exempli gratiâ.

Si homo vivit, tum est animal. Si homo animal est, rationalis est.

c Conditionalis affirmata est instar Universalis; ut, Si homo est, animal est: id est, Omnis homo est animal. Si homo est, brutum non est; i. e. Nullus homo est brutum.

Negata est instar Particularis; ut, Non si animal est, homo est; id est, Aliquod animal non est homo. Non si animal est, homo non est; i. e. Aliquod animal est homo.

d Convertitur Conditionalis per Contrapositionem: Partibus nimirum in contradictorias suas mutatis, & deinde transpositis; ut, Si homo est, animal est: Si animal non est, homo non est. Item, Non si animal est, homo est: Non si homo non est, animal non est Vide Cap.5. §. *Per Contrapositionem.*

Hæc Conversio sæpe exprimitur ad majorem rei evidentiam, substitutis etiam aliquando aliis Oppositis pro Contradictoriis; ut, Si longa est, levis est: Si gravis est, brevis est; id est, Si non est levis, non est longa.

Cic. Epist. fol. 18.*a*. Si iniquus es in me judex condemnabo eodem ego te crimine: Sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis.

Idem in *Ver.* 154. *b*. Si judicio à me vis exigere, remove *Siculum* Magistratum: Si hanc vim adhibes, (id est, Si non removes *Siculum* Magistratum) quid opus est judicio?

Et fol. 199.*a*. Annona si pretium habet, est in calamitate fructuum: Si ubertas in percipiendis fructibus sit, consequitur vilitas in vendendis.

Idem pro *Rabirio* 94.*a.* Si interfici *Saturninum* nefas sit, arma sumpta esse contra *Saturninum* sine scelere non possunt: Si arma jure sumpta esse concedis, interfectum jure concedas necesse est.

Idem pro *Cluentio* 44.*b.* Quòd si hoc exemplum, &c. tum sortitione ipsum factum oportuit: Sin autem sortiri, &c. minimè censorium est, certè in multorum peccato carpi paucos ad ignominiam & turpitudinem non oportet.

Senec. trag. *Medea*, Ver. 434.

———Si vellem fidem
Præstare meritis conjugis, letho fuit
Caput offerendum: Sin mori nolim, fide
Misero carendum.

Job. 5. 23. *Rom.* 11. 6. 1 *Cor.* 11. 6. & 15. 12, 13. 1 *Joh.* 2. 19. Confer *Mat.* 10. 38. cum cap. 16. 24. Et *Mat.* 12. 30. cum *Marc.* 9. 40.

Atque hujus Conversionis consecutio perpetua ac necessaria est. Vide Cap. 15. §. *Propositio Connexa*; Et Cap. 17. §. *Harum etiam*; Et Cap. 31. §. *Secundus modus.*

Hinc, Conditionalis ex impossibili vel falso Consequente æquivalet Simplici & Absolutæ contradictioni Antecedentis.

Exempli gratiâ.

Ter. Andr. Act. 1. Sc. 2.

Si te inde exemerim, ego pro te molam;

Id est, Nequaquam te eximam.

Num. 16. 29. 1 *Reg.* 22. 28. Vide suprà §. *Hinc apparet.*

Non

Non autem sequitur simpliciter convertendo [*Si homo est, animal est:* Ergo, *Si animal est, homo est.*] Vel (quod idem valet) Ergo, *Si homo non est, Animal non est.*

Quæ fallacia ab *Aristotele* dicitur τὸ παρὰ τὸ ἑπόμενον. Vide Cap. 5. §. *Attenuata*; Et §. *Universalis affirmata.*

Excipe quando hoc fit ex naturâ materiæ sive partium; ut, Si homo est, risibilis est: Et, Si risibilis est, homo est; ut Cap.5. §.*Si quando.*

Aut ex intentione loquentis; id est, quando intendit Conditionem intelligi restrictivè, viz. hac conditione & non aliter: Quo modo communiter intelligitur in mandatis, Promissionibus, Comminationibus, Pactis, Testamentis, &c.

Teren. Hecyr. Act.1. Sc.2.

Senex si quæret me, modo isse dicito
Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
Audin' quid dicam, Scirte? *Si quæret me, uti*
Tum dicas: Si non quæret, nullus dixeris.
Aliàs ut uti possim hac causâ integrâ.

Sic *Justinianus* Institut. lib. 2. Tit. 20. *De Legatis.* §. *Longè magis.* *Titio*, si negotia mea curaverit, fundum meum do lego; id est, Si non curaverit, non do lego.

Contrà vide infrà §. *Hinc legato causaliter enuntiato.* *Gen.*34.22. *Jos.*2.14,20. 1 *Sam.* 11.2. *Mat.* 21.24,27. *Luc.*13.3,5.

Atque hoc frequenter exprimitur inferendo contradictorium Consequentis ex contradictorio Antecedentis.

Cic. Epist. fol. 92. *a.* Qui [scil. liber *Ciceronis* de *Oratore*] si talis est, qualem tibi videri scribis; ego quoque aliquid sum. Sin aliter: Non recuso quin quantum de illo libro, tantum de mei judicii famâ detrahatur.

Judic. 4. 8. & 9. 19, 20. 1 *Sam.* 6. 9. & 12. 14, 15. 1 *Reg.* 1. 52. 2 *Reg.* 2. 10. *Jer.* 38. 17, 18. *Mat.* 6. 14, 15. & vers. 22, 23. & cap. 10. 13. *Joh.* 5. 46, 47. & 8. 47. & 9. 41. & 12. 24. & 16. 7. *Rom.* 7. 3. *Heb.* 12. 7, 8. 1 *Joh.* 4. 2, 3. Vide infrà Cap. 18. §. *Gen.* 34.

Hinc, Ex eâdem intentione loquentis, Conditionalis ex conditione impossibili sive Antecedente manifestè falso æquivalet simplici & absolutæ contradictioni Antecedentis.

Hor. lib. 3. Od. 5.

Si pugnat extricata densis
Cerva plagis: erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus:

Id est, Ut cerva extricata plagis non pugnat, ita nec ille erit fortis, qui se credidit hostibus.

Gen. 13. 16. 2 *Sam.* 5. 6. *Jer.* 13. 23. & 31. 36, 37. & 33. 20, 21, 25, 26. comparat. cum ver. 22.

Vide suprà §. *Hinc apparet.*

II. *De*

II. De Causali.

Causalis Propositio est, cujus Conjunctio est Causalis; Quia, quòd, quoniam, quandoquidem, cùm vel quando pro quandoquidem, Nam, namque, enim, etenim, quippe, utpote; ut pro utpote, Qui, cùm habet vim causalem.

Item Conjunctiones finales, viz. ut, ne, quò pro ut.

Item Rationales sive Illativæ, Ergo, igitur, ideo, idcirco, itaque, proin, proinde, propterea, ea propter, quapropter, quare, quamobrem, quocirca.

Notæ causales (specialiter sic dictæ) & Finales Antecedentibus; Rationales sive Illativæ Consequentibus adjunguntur.

Affirmatæ, *Gen.* 3.14, 17. *Deut.* 28. 47, 48. 1 *Reg.* 20.28, 42. *Eccles.* 8. 11. *Mat.* 3. 13. *Joh.* 15. 19. 1 *Cor.* 1. 14, 15. & 2. 4, 5.

Negatæ, *Gen.* 29. 15. *Jer.* 22. 15. *Luc.* 13. 2, 3, 4, 5. & 17. 9. *Rom.* 6. 15. & 9. 7.

Sæpe Affirmatæ & Negatæ conjunguntur, Non quia, sed quia; Non ut, sed ut. *Deut.* 7. 7, 8. & 9. 5. *Jos.* 22. 26, 27. *Mat.* 9. 13. *Luc.* 9. 56. & 11. 8. *Joh.* 3. 17. & 6. 26. & 9. 3. & 10. 10. & 12. 6, 9, 30, 47. 1 *Cor.* 7. 35. 2 *Cor.* 2. 4. & 7. 9, 12. & 9. 4. & 11. 11, 12. 1 *Tim.* 6. 2. 1 *Joh.* 2. 21.

Præpositiones aliquando supplent locum Conjunctionum; Ad, ob, pro, propter. *Mat.* 6. 1. & 10. 22. & 13. 5, 6, 58. *Rom.* 1. 20. 1 *Cor.* 11. 24, 25. 2 *Cor.* 1. 4. *Heb.* 9. 26.

Modus Infinitivus post verba motûs. Vide lib. 1. cap. 6. §. *Notæ Finis.*

In Propositionibus causalibus non semper Causatum ex causâ infertur, sed aliquando Causa ex causato, aut aliud quodvis Argumentum ex alio.

Exempli gratiâ.

Quia tendit deorsum, grave est. Quia pallet, conscius est. Quia bonos fert fructus, bona arbor est. Quia adulator est, amicus non est. Causa enim hîc spectatur non Consequentis, sed consequentiæ.

*Luc.*7.47. 1 *Cor.*10.5.

Causalis Affirmata significat, & Consequens sequi ex Antecedente, & utramque partem esse veram. Negata significat vel consequens non sequi ex Antecedente, vel alteram partem non esse veram.

e Vera igitur est Causalis Affirmata, quando & Consequentia, & ambæ partes veræ sunt: Falsa quando vel Consequentia, vel altera pars falsa est. Negata contrá.

*Deut.*1.27. & 7.7,8.

Veruntamen etiamsi Antecedens falsum sit; tamen quando Propositio enuntiatur causaliter, sumitur & ponitur ab enuntiante tanquam verum.

Hinc Legato causaliter enuntiato falsa causa adjecta non nocet. Sic *Justinian.* Institut. *De Legatis*; *Titio*, quia me absente negotia mea curavit, *Stichum* do lego. Hîc, licet negotia Testatoris nunquam gesserit *Titius*, Legatum tamen valet. Contrà si enuntietur conditionaliter, Suprà §. *Sic Justinianus.*

III. *De*

III. *De Relativa.*

Relativa Propositio est, cujus Conjunctio est Relativa, eique respondens Redditiva.

Relativa Antecedenti, Redditiva Consequenti adjungitur.

f Pro variis particulis Relativis & Redditivis variæ etiam sunt species Propositionum Relativarum: Præcipuè autem quinque, viz. Essentiæ, Quantitatis, Qualitatis, Loci, & Temporis.

Hæ omnes species reducuntur ad primam: quæ in reliquis semper continetur; viz. Quantus, id est, Cujus quantitatis: Qualis, id est, Cujus qualitatis: Ubi, id est, Quo loco; Quando, id est, Quo tempore.

1. *Relativa Essentiæ.*

In hac, Notæ Relativæ sunt, Qui, quicunque, quisquis, quicquid; id est, Si quis, si quid: Redditivæ, Ille, ipse, hic, is, idem.

Cic. pro *Muræna* 134. Cui dolet, meminit: Cui placet, obliviscitur.

Idem *Offic.* 37.*a.* Ex *Ennio.* *Quem metuunt, oderunt:*
Quem quisque odit, perisse expetit.

Idem pro *Quinctio* 1. Quæ res in Civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore; Summa gratia, & Eloquentia.

Seneca de *Irâ* lib.22.cap.33.
——*Quos læserunt, oderunt.*
Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus:
Tu quoque fac simile, Id est, *Si quis simulat.*

Exod.

*Exod.*32.33. *Num.*22.35. *Judic.* 9.48. *Prov.*3.12. & 11.28. & 18.13. *Mat.*5.39,41. & 7.2, 12. & 10, 27,38,42. & 12.50. & 13.12. & 18.4, 5, 6, 18. & 19. 6,9,29. & 21.42,44. & 24.45, 46. *Marc.* 6. 16. & 10.15. & 13.11. *Luc.*12.48. & 14.27. *Joh.* 1. 12, 33,45. & 5.19,38. & 14.13, 26. & 18. 9, 11. & 20. 23. *Act.*3.6. & 10.15. & 17. 23. *Rom.* 2. 12. & 8. 14,29,30. & 11.7. 1 *Cor.*7.24. & 12. 23. *Gal.* 6. 7. *Phil.* 3. 7. & 4. 8. *Heb.* 12. 6. & 13. 11. *Apoc.* 3. 19.

2. Relativa Quantitatis.

In hac, Notæ Relativæ sunt, Quantus, quanti, quantum, quanto, quo pro quanto, quam, quot; id est, Si quantus,&c. Redditivæ, Tantus, tanti, tantum, tanto, eo, tam, tot.

Cic. Attic. 193.*b.* Quanti quanti, bene emitur, quod necesse est.

Juvenal. lib.1. Sat.3.
Quantum quisque suâ nummorum servat in arcâ;
Tantum habet & fidei.

Hor. lib.1. Sat.2.
——*de Fusidio fœneratore:*
Quantò perditior quisque est, tantò acriùs urget.

*Exod.*1.12. *Marc.*7.36. *Hebr.* 1. 4. & 8. 6. *Apoc.* 18.7. Vide lib.1. cap.18.

3. *Relativa*

3. *Relativa Qualitatis.*

In hac, Notæ Relativæ ſunt, Qualis, ut, quomodo, quemadmodum; id eſt, Si qualis, &c. Redditivæ, Talis, ſic, ita, itidem, ſimiliter.

Cic. de *Or.* 133. *a.* Ut ſementem feceris, ita & metes.

Idem *Epiſt.* fol. 22. Ex *Platone*, Quales in Repub. Principes eſſent, tales fore reliquos cives.

Judic. 1. 7. *Eccleſ.* 2.15,16. & 11. 5. *Jer.* 5. 27. & 51. 49. *Obad.* ver. 16. *Zech.* 7. 13. *Mat.* 8. 13. & 24.27,37. *Luc.*6.31. *Joh.* 5. 21. & 20. 21. *Act.* 7.51. & 23.11. 1 *Cor.*9.13, 14. & 12. 12. & 15. 48, 49. 2 *Cor.* 10.11. 1 *Theſſ.*5.2,3. 2 *Tim.*3.8,9. *Jac.* 2.26.

Vide plura lib.1. Cap.16.

Negat. *Mat.* 7. 29. *Joh.* 14. 27. *Rom.* 5. 15, 16. 2 *Cor.*3.13. *Eph.*4.17. 1 *Theſſ.*4.5. & 5.6.

4. *Relativa Loci.*

In hac, Notæ Relativæ ſunt, Ubi, unde, quò, quà, quorſum; id eſt, Sicubi, ſicunde,&c. Redditivæ, Ibi, inde,&c.

Ubi amor, ibi oculus. Ubi dolor, ibi manus. Ubi uber, ibi tuber. Unde omnia veniunt, eò redeunt.

Cic.Epiſt. fol.97. *a.* Ubi non ſis, qui fueris: non eſt cur velis vivere.

Ruth 1.16,17. 2 *Sam.*15. 21. 2 *Reg.* 19. 33. *Eccleſ.* 1.5,7. & 11.3. *Hoſ.*1.10. *Mat.*6.21. & 24.28. & 26.13. *Joh.*7.34. & 8.21. & 12. 26. *Rom.*4. 15. & 5,20. 2 *Cor.*3.17. *Heb.*9.16. *Jac.*3.16.

Negat.

Negat. *Cic.Paradox.*121. Non ubi quisque erit, ejus loci jus tenebit.

5. *Relativa Temporis.*

In hac, Notæ Relativæ sunt, Quando, quamdiu, dum, donec, cùm pro quando, quoties; id est, Si quando,&c. Redditivæ, Tunc, tamdiu, toties.

Compositæ ex Relativis & Redditivis, Antequam, priusquam, postquam, usquedum.

Cic. de *Or.*95. Quoties dicimus, toties de nobis judicatur.

Saluft. pag.1. Priusquam incipias, consulto; postquam consulueris, maturè facto opus est.

Thraso Terent. Eunuch. Omnia priùs experiri verbis, quàm armis, sapientem decet.

*Mat.*9.15. & 13.25,26. *Luc.*12. 11. & 21, 30, 31, 32. *Joh.*13,38. 1 *Cor.* 11. 26. & 13. 10, 11. & 15. 28,54. 2 *Cor.*3.15, 16. & 12. 10. *Gal.* 6. 10. *Coloss.* 3.4. 1 *Thess.*5.3. 1 *Tim.*4.13.

Negat. 1 *Cor.*16.2.

Hic etiam loco Conjunctionum usurpantur Præpositiones, In, inter, ante, post.

*Job.*42.10. *Prov.*8.27,28, 29. *Mat.* 27. 12. *Luc.* 24.30. *Gal.*2.12.

Ex Propositionibus Relativis multæ (præsertim ex Relativis Essentiæ) ad Categoricas referri possunt. Quædam ex iis, quæ Quantitatis aut Qualitatis esse videntur, ad Copulatas pertinent: ut quæ enuntiantur per Tam, quam; ut, sic; Non solùm sed etiam.

g Quod ad significationem, adeoque ad veritatem & falsitatem Propositionum Relativarum attinet: Si solummodo sumantur hypotheticè, sequuntur Regulam Conditionalium. Si autem θετικῶς, sive positivè accipiantur, sequuntur Regulam Causalium.

Num. 14.28. *Jos.* 3.7. 1 *Reg.* 21.19. *Job.* 17.16. *Coloss.* 3.4.

Crypses Connexarum.

1. Aliquando deest Consequens, & dicitur Ἀνανταπόδοτον & Ἀποσιώπησις.

Simo Teren. Andr.
Quem quidem ego si sensero———
Demea Adelph.
Si verbum unum posthac———
Laches Eunuch.
Ego te, furcifer, si vivo———

Exod. 32.32. Et nunc si remittes peccatum eorum ——— Græcus interpres ita supplet, ———ἄφες. Vide simile *Luc.* 22.42.

Exod. 13.8. 1 *Sam.* 1.22. 2 *Chron.* 2.3. *Psal.* 27.13. *Dan.* 3.15. *Mat.* 25.9, 14. *Marc.* 13.34. & 14.49. *Luc.* 19.42. *Joh.* 6.62. & 13.18. & 15.25. *Rom.* 9.22. 2 *Cor.* 9.7. 2 *Thess.* 2.3. 1 *Tim.* 1.3, 4. 1 *Joh.* 2.19.

2. Conjunctio aliquando deest.

Juvenal. Sat. 3.
Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit.
Id est, Si jusseris.

Exod.

Exod. 15.10,12,14. *Psal.* 23. 1. & 104. 28,29,30. *Mat.* 10.8.31. & 14.27. *Joh.* 8.13.

Præsertim cum Interrogatione.

Gnatho Teren. Eunuch.
Negat quis? Nego. Ait? Aio.
Id est, Si negat, nego: Si ait, aio.

Mitio Teren. Adelp.
Fores effregit? Restituentur.
Discidit vestem? Resarcietur.

Martial lib. 6. Epig. 50.
Vis fieri dives, Bythinice? *Conscius esto.*

Juvenal. Sat. 8.
———*Sanctus haberi*
Justitiæque tenax dictis factisque mereris?
Agnosco procerem.

Deut. 20.5,6,7,8. *Psal.* 25. 12. & 34. 12, 13. *Prov.* 22. 29. & 25. 16. & 26. 12. & 29. 20. *Isa.* 50. 10. *Marc.* 4.13. *Luc.* 12.42,43. *Act.* 25.12. *Rom.* 13.3. & 14.22. 1 *Cor.* 7.18,21,27. 2 *Cor.* 11.22,23. *Jac.* 3.13. & 5.13,14. *Sirac.* 7.22,23,24,26.

3. Sæpe Conjunctio implicatur in Participio.

Exempli gratiâ.

In Conditionalibus. *Act.* 15.29. *Gal.* 6.9. 1 *Tim.* 4. 4,6.16. & 6.8. *Heb.* 2. 3. 2 *Pet.* 1.10.

In Causalibus. *Mat.* 1.19. & 22. 29. *Luc.* 20. 36. *Joh.* 13.1,3. 1 *Cor.* 4. 14. & 11. 7, 29. 2 *Cor.* 1. 23. & 3.12. & 4.1. & 11.7.19. *Gal.* 4. 16. *Coloss.* 3.9,10. *Philem.* vers. 9,21. *Heb.* 4.2. 2 *Pet.* 3.11,14,17.

In Relativis Essentiæ. Cum Articulo Præpositivo, *Ezec.*18.4,20. *Mat.*4. 16. & 5. 22, 40, 42. & 10. 22, 37, 39, 40, 41. & 26. 23, 44. *Luc.*12.47, 48. *Job.*5. 11. 1 *Cor.*6.4. 3 *Joh.*ver.6. *Apoc.*2. 7, 17, 26.

Et sine Articulo. *Gen.* 9. 6. *Prov.* 11. 25, 28. & 18. 9, 13. & 21. 13. & 28. 26. & 29. 12. *Mat.* 9. 23.

Et Participio Subintellecto. *Mat.*24. 16, 17, 18. *Gal.* 3. 7, 9.

Item per Appositionem Nominis Adjectivi vel Substantivi, Participio subintellecto. *Ignavum fucos pecus*; id est, fucos existentes ignavum pecus.

*Colos.*3.4. 1 *Tim.*1. 1, 2.

In Relativis temporis. *Mat.* 6. 7, 17. *Luc.* 24. 44. *Job.*21.14. *Act.*19.2. *Rom.*15.28. 1 *Tim.*5.6. 1 *Pet.* 5.10. 2 *Pet.*2.9.

Frequentissimè autem, Genitivo apud Græcos, & Ablativo apud Latinos absolutè sumpto, Participio vel Expresso, vel Subintellecto.

Sic & in aliis casibus. *Mat.*8. 1, 5, 23, 28. & 9. 27, 28. & 21. 23. & 26. 71. *Marc.*9. 28. *Luc.*8. 27. *Act.*7. 21. *Apoc.*2. 7.

4. Aliquando partes invertuntur; ut Animal est, si homo est. Vivit, si sentit. Sanus est, si æger non est.

Ejus est velle, qui potest nolle. *Reg. Jur. Civil.*3.

Tanti eris aliis, quanti tibi fueris.
Tale tuum carmen, &c.
Quale sopor fessis, &c.
*Virgil.*Eclog.5.

2 *Sam.*

2 *Sam.*12.5,6. *Job.*42.10. *Prov.*3.27,28, 29, 30. & 28.1. *Mat.*18.32,33,34,35. & 20.27, 28. *Luc.*6.36. & 11. 1. *Joh.* 9. 4. & 10. 17. & 15. 4, 14. & 16. 3, 4, 9, 10, 11. 1 *Cor.* 11. 1. *Gal.* 6. 9. 1 *Tim.* 1. 8. *Heb.* 6. 3. 1 *Joh.* 3. 4, 7. & 4. 19. *Apoc.* 3. 21.

Differt hæc Inversio à Conversione (de quâ suprà §. *Convertitur*) quòd partes hîc non, ut ibi, mutantur in suas Contradictorias. Imo quanquam transponuntur, tamen manent eædem ut antea fuerant; id est, Antecedens manet Antecedens, & Consequens manet Consequens. Quomodocunque enim collocentur, semper tamen ea pars, quæ habet notam Conditionalem, Causalem, aut Relativam, Antecedens est; altera Consequens. Vel, Ea quæ infert alteram, Antecedens est; Altera Consequens.

5. Aliquando & deest Conjunctio, & partes invertuntur.

Senec. Trag. *Troad.*ver.1016.

Nemo se credit miserum licèt sit:
Tolle felices; id est, Si tolles felices (vel, Si nulli sint felices) *nemo se credit miserum.*

Versiculi.

a *Tres Connexarum species numerantur. Et ex his*
Conditionalis Neutram, Causalis utramque
Partem, Nunc Neutram nunc ponit utramque Relata.
b *Conditionalis, cùm infert Pars prima secundam,*
Vera erit Affirmata, & contrà Falsa Negata:
Quando non infert, vera hæc & falsa erit illa.
Nec refert utrùm Pars vera an falsa sit ulla.

c *Condi-*

c *Conditionales affirmatæ, generales*
Sunt ; contrâque negatæ, tanquam particulares.
d *Conditionali in vertendâ multa notantur.*
e *Causalis, quando pars infert prima Secundam,*
Atque simul vera est pars utraque ; vera futura est
Affirmata, & falsa negata : At contrà alioqui.
f *Sunt* Qui, Quantus, Qualis, Ubi, Quandoque *Relatæ.*
Omnes hasce notas ad primam rite reducas.
g *Conditionalem aut Causalem prout imitatur,*
Ponendo vel non, Vera est aut Falsa Relata.

CAP. XI.

De Propositione Disjunctâ.

Disjuncta Propositio est, cujus Conjunctio est Disjunctiva ; Aut, vel, ve, an, utrum.

Hanc proximo loco subjicimus Connexæ, quia majorem cum eâ affinitatem habet, quàm reliquæ duæ, sicut & reliquæ duæ majorem inter se affinitatem habent, ut in sequentibus videbitur. Cap. 12, 13. & Cap. 15, 16, 17. Et Cap. 30, 31, 32, 33, 34, 35.

Affirmatæ. Aut dies est, aut nox est. Aut homo non est, aut animal est. Aut fidelis est, aut amicus non est. Aut adulator non est, aut amicus non est.

Negatæ. Non aut album est, aut nigrum est. Non aut homo est, aut animal non est. Non aut Substantia non est, aut corpus est. Non aut dives non est, aut avarus non est.

Ex pluribus Membris. Aut vincendum, aut fugiendum, aut moriendum, aut serviendum est.

Hæc plura ad duo reduci possunt, idque variè.

Exempli gratiâ.

Vel sic, Aut vincendum est——aut fugiendum, aut moriendum, aut serviendum.

Vel sic, Aut vincendum aut fugiendum est——aut moriendum, aut serviendum.

Vel sic, Aut vincendum, aut fugiendum, aut moriendum est——aut serviendum.

Sic etiam iisdem partibus aliter atque aliter transpositis, & deinde aliter atque aliter divisis.

Aut Ver, aut Æstas, aut Autumnus, aut Hyems est.

1 *Sam.*26.10. 1 *Reg.* 18.27. *Coloss.* 2.16.

Disjuncta affirmata significat, Aliquam partem esse veram: Negata, Nullam partem esse veram.

a Vera igitur est Disjuncta affirmata, quando aliqua pars est vera: Falsa, quando nulla pars est vera. Contrà, Negata vera est, quando nulla pars est vera: Falsa, quando aliqua pars est vera.

b Ad veritatem autem Affirmatæ (&, quod idem est, ad falsitatem negatæ) non necesse est ut unica tantùm pars sit vera (ut quidam docent,) Qui error & alios errores peperit. Potest enim Negata esse falsa, adeoque Affirmata esse vera, ex ambabus, pluribus, omnibus partibus veris. Imò, quò plures partes veræ sunt, eò verior erit Affirmata, & eò falsior Negata. Vide Cap. 15,16,17. Et 30,31,32,33,34,35.

Exempli

Exempli gratiâ,

Teren. Hecyr. Act. 3. Sc. 1.
Matrem ex eâ re me, aut uxorem in culpâ inventurum arbitror.
Verè arbitratur, & vera est disjunctio, si utramque in culpâ invenerit.

Et *Phorm.* Act. 1. Sc. 4.
Me aut herum pessundabunt.
Verè dicitur, si utrumque.

Et *Heaut.* Act. 1. Scen. 1.
Vel virtus tua, vel vicinitas fecit.
Vera est disjunctio, si ambæ fecerint.

Et ibid.
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.
Magis verificat promissum, si & consolando, & consilio, & re juverit.

Et *Andr.* Act. 5. Sc. 4.
Una harum quævis causa me, ut faciam monet:
Vel tu, vel quòd verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
Si una quævis, multò magìs omnes.

Suprà Cap. 6. Ex Regulis ibi traditis verè dicitur, Contrariarum aut Affirmata aut Negata falsa est: Subcontrariarum aut Affirmata aut Negata vera est: Subalternarum aut vera est Particularis, aut falsa est Universalis: Etiamsi in primâ utraque sit falsa, in secundâ utraque sit vera, in tertiâ & vera sit Particularis, & falsa sit Universalis.

Quanquam enim aliquando ridiculum eſt loqui Disjunctivè, cum poſſimus Copulativè (ut dictum eſt Cap. 2. §. *Si Propoſitio*) non ſequitur, ut ſemper ſit ridiculum: Multò minùs ut ſit falſum. Multò verò magis & falſum, & ridiculum eſt dicere, Quia utrumque membrum verum eſt, ideo Neutrum verum eſſe, vel (quod idem eſt) ideo Disjunctam affirmatam falſam eſſe.

Hic autem error de unico vero, idem eſt, aut in eo fundatur, quòd membra disjuncta ſupponuntur eſſe ſemper Oppoſita: cùm ex datis Exemplis appareat, ea eſſe aliquando ſolummodo Diverſa, & quidem Subordinata, ita ut poſſint eſſe ſimul vera.

Eccleſ. 11. 6. *Mat.* 6. 24. & 12. 33.

Convertitur Disjuncta ſimpliciter, id eſt, Solâ tranſpoſitione partium.

Exempli gratiâ.

Aut dies eſt, aut nox eſt: Aut nox eſt, aut dies eſt.

c Ad veritatem enim nihil intereſt quo ordine partes collocentur: Ad commoditatem autem aliquando aliquid intereſt, prout oratio vel creſcit vel decreſcit.

Creſcit oratio, quando id quod minus eſt præcedit, id quod majus eſt ſequitur, additis Particulis [*Etiam, fortè, ad ſummum.*]

Exempli gratiâ.

Ter. Heaut. Act. 1. Sc. 1.

Pariter, aut etiam ampliùs.

Cic. pro *Cælio* 42. *a.* Aut non timet, aut etiam fatetur.

Idem

Idem de *Aruspic.* Resp. 245. *a.* Aut concedente, aut etiam adjuvante *Milone.*

Idem in *Ver.* 202. *b.* Aut non minoris, aut etiam pluris.

Idem *Epist.* fol. 18. Bis, terve ad summum.

Idem pro *Quinctio* 14. Biduo, aut summum triduo.

1 *Cor.* 14.27,29. & 16.6.

Decrescit oratio, quando id quod majus est præcedit, id quod minus est sequitur, additis Particulis [*Saltem, certè, ad minimum.*]

Cic. ad *Attic.* 138. Eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem.

Idem de *Senect.* 77. Aut jam urgentis, aut certè adventantis senectutis.

Hac distinctione Crescentis & Decrescentis Orationis non observatâ, Propositio disjuncta potest fieri incommoda licèt vera.

Ex his etiam Exemplis apparet, Membra disjuncta aliquando non pugnare, sed posse esse simul vera.

d Disjuncta Affirmata similis est Particulari, Negata Universali.

Exempli gratiâ.

Aut hoc, aut illud, aut istud est; id est, Aliquid horum.

Non aut hoc, aut illud, aut istud est; id est, Nihil horum.

Aliâ ratione contrà, Cap. 15. §. *Cùm autem.* Item Cap. 16, & 17.

Crypsis Propositionis Disjunctæ.

Aliquando Conjunctio deest; ut, Plus, minus; Volens, nolens; Velis, nolis; Scias, nescias.

Hor. lib.2. Od.3.
Seriùs, ocyùs, Sors exitura.

Cic. Attic. 201. Cras, summum perendie.

Ter. Heaut. Act.4. Sc.1.
Melius pejus, prosit obsit, nihil vident nisi quod lubet.
1 *Cor.* 3.12. & 14.26.

Versiculi.

a *Aff. Vera ex aliquâ verâ est: at falsa, ubi nulla.*
Neg. Falsa ex aliquâ verâ est: at vera, ubi nulla.
b *Pluribus ex veris etiam Affirmatio vera est:*
Cùm (quod nemo negare potest) sit falsa Negata.
c *Ad verum nihil est, sive ipsa Oratio crescat,*
Sive ea decrescat: tamen est ad commoditatem.
d *Disjuncta affirmata est instar Particularis:*
Et contrà, Disjuncta negata instar Generalis:
Quamvis ambæ aliter se habeant aliâ ratione.

CAP. XII.

De Propositione Copulatâ.

Copulata Propositio est, cujus Conjunctio est Copulativa; Et, ac, atque, nec, neque, neve, cùm tum, tum geminatum, tam quàm, non solùm sed etiam, non solùm sed ne, nedum; sive, ut Græcè εἴτε, & Hebraicè אִם וְאִם;

Affirmatæ. Et amici & inimici diligendi sunt. *Cic. Epist.* fol. 177. *b.* Nec metuam (id est, Et non metuam) quicquam, & cavebo omnia.

Idem de *Nat. Deorum* 59. *b.* Mala & impia consuetudo est contra Deos disputandi, sive ex animo id fiat, sive simulatè.

Nec bonis nec malis invidendum est; id est, Et bonis non est invidendum, & malis non est invidendum.

1 *Reg.* 20. 18. *Eccles.* 12. 14. *Mat.* 23. 13. *Job.* 4. 11 & 6. 36. 1 *Cor.* 8. 5. 3 Ep. *Joh.* ver. 10. *Apoc.* 3. 15.

Negatæ. Non & prudens, & improbus est. Non & liberalis est, & justus non est. Non & fidelis non est, & amicus est. Non & sanus non est, & æger non est.

Exod. 10. 10. & 33. 20. *Deut.* 22. 1, 4. & 25. 13, 14. *Ezr.* 4. 3. *Isa.* 65. 22. *Mat.* 5. 15. & 6. 24. *Marc.* 9. 39. *Joh.* 7. 4. *Act.* 25. 27. 1 *Cor.* 10. 21. 2 *Cor.* 1. 18, 19. *Jac.* 3. 12.

Sæpe exprimitur Copulata negata per Interrogationem affirmatam: Et quidem emphaticè, ut de Propositione in genere dictum est Cap. 2. §. *Interrogatio.*

Cic. in *Ver.*98. An in eum annum nemo poterit progredi edicto, quo Prætor alius futurus est; in eum, quo Prætor alius fuit, regredietur?

Ovid. Metam. lib. 13.
An falsò Palamedem *crimine turpe est*
Accusasse mihi, vobis damnasse decorum?

*Exod.*8.26. *Num.*16.22. & 23.19. & 32. 6. *Deut.* 4.33. & 5.26. *Judic.*18.24. 1 *Sam.*26.9. 2 *Sam.* 4. 9,10,11. & 11.11. 2 *Reg.*19. 11. *Job.*2.10. & 9.4. *Prov.*6.27,28. *Isa.*5.4. & 36.12. & 66.9. *Jer.* 7. 9, 10. & 8.4. & 23.23. & 25.29. & 45.4, 5. & 49. 12. *Ezec.*17.15. & 33.25,26. *Amos* 3.3,4,5, 6. *Jonæ* 4. 10,11. *Hag.*1.4. *Mat.* 3. 14. & 7. 3,4. & 16. 3. & 18.32,33. *Marc.*14.13. *Luc.* 6.42, 46. & 8. 45. & 13.15,16. & 14.5,28,31. & 18.6,7. & 20. 41,42,44. & 24.18. *Joh.* 2. 20. & 3. 10. & 8. 57. & 11. 8. & 12. 34. & 14. 9. *Act.* 16. 37. & 23. 3. *Rom.* 2. 20, 21,22,23. 1 *Cor.*9.7. 2 *Cor.*11.29. *Jac.* 3.10,11,12. *Sirac.*2.10. & 28.3,4.

Ex pluribus membris Affirmatæ frequentes sunt.

1 *Sam.* 16. 18. *Rom.* 1. 29, 30, 31. 1 *Cor.* 10. 32. 2 *Cor.*7.11. 1 *Tim.*3.2,3,4,16. *Jac.*3.17.

Negatæ rariores. Vide tamen Cap. 33. §. *Similiter*; & Cap. 35. §. *Non & omne animal.*

Copulata affirmata significat, Omnes & singulas partes esse veras. Negata significat, Aliquam partem esse falsam.

a Vera igitur est Affirmata, quando omnes & singulæ partes sunt veræ: Falsa, quando aliqua pars est falsa.

Contrà, Negata vera est, quando aliqua pars est falsa: Falsa, quando omnes & singulæ partes sunt veræ.

b Copu-

b Copulata affirmata similis est Universali; ut, Et hic, & ille, & iste est; id est, Omnes sunt. Nec hic, nec ille, nec iste est; id est, Nullus est.

Negata similis est Particulari; ut, Non & hic, & ille, & iste est; id est, Aliquis non est. Non & hic non est, & ille non est, & iste non est; id est, Aliquis est.

Aliâ ratione contrà, Cap. 15, 16, 17.

Convertitur Copulata simpliciter; id est, solâ transpositione partium; ut, Et doctus, & dives est: Et dives & doctus est. Non & Dies est, & Nox est: Non & Nox est, & Dies est.

Sic ubi plures partes sunt, variè transponi & ad binas reduci possunt; ut de Disjunctis dictum est Cap. 11. §. *Ex pluribus. Act.* 23. 8.

Ad veritatem enim nihil interest quo ordine partes collocentur. Ad commoditatem autem aliquando nonnihil interest. Hîc enim semper Oratio debet crescere; id est, id quod sequitur debet aliquid superaddere ei quod præcedit, non autem in eo contineri, aut ex eo sequi. Sic rectè dicitur [*Animal & vivit, & sentit.*] Non autem rectè aut commodè, licèt verè, [*Animal & sentit, & vivit.*] Quia in hoc Consequens nihil superaddit Antecedenti, sed in eo continetur, sive ex eo sequitur: si enim sentit, vivit.

Isai. 5. 5, 15, 23. *Mat.* 10. 9. *Marc.* 13. 9. *Act.* 26. 29. 1 *Cor.* 13. 1, 2, 3. *Philip.* 4. 16. 1 *Thess.* 2. 18. 1 *Tim.* 4. 16.

Ut Propositio verè Copulata sit, nota Copulativa debet sumi distributivè sive sigillatim, ut in omnibus Exemplis datis.

Contrà aliquando sumitur collectivè sive complexim; ut, Duo & tria, sunt quinque. Omnis vis nostra in animo & corpore sita est. Sed ejusmodi Propositiones potiùs censendæ sunt Categoricæ.

Num.

*Num.*9.13. *Deut.*14.6, 9, 10. *Job.* 24. 11. *Prov.* 11.22. & 26. 23. & 28. 13. *Zeph.* 1. 5. *Mat.* 25. 9. *Luc.* 11. 28. & 12. 47, 48. & 16. 18. *Joh.* 6. 45. & 12.47. & 20.29. *Act.*25.27. 1 *Tim.*6.6. *Jac.*4. 17. 1 *Joh.*1.6. & 2.4. & 3.17. & 4.20.

Vide Cap.3. §. *Hîc Signum* [*Omnis*].

Crypses Copulatarum.

1. Conjunctio aliquando deest.

Monstrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Ter. Andr. Act.1.Sc.1.

———*Funus interim*
Procedit, sequimur, ad sepulcrum venimus,
In ignem posita est, fletur.

Et *Phorm.* Act.1. Sc.2.

———*Persuasit homini,*
Factum est, ventum est, vincimur, Duxit.
Patronum faciunt Dos, Ædificatio, Fundus.

*Prov.*27.12. *Mat.*10.8. *Rom.*12.8,9,10,11,12, 13, 14. 1 *Cor.*13.4,5,6,7. 2 *Cor.*6.4,5,6,7. & 11.23,24, 25,26,27. 2 *Tim.*3.2,3,4,5.

2. Conjunctio aliquando implicatur in Participio.

*Mat.*25.25. & 28.2,5,7,8,9,11,12,13,15, &c. *Marc.* 14.22,23,39. *Luc.*11.7,8. & 16.34. *Joh.*8.2. *Act.* 19.9. *Gal.*1.14. 1 *Tim.*4.8. & 6.4. *Tit.*2. 12. *Jac.* 2. 9.

Catego-

Categorica ex multis Argumentis constans, est quasi Copulata ex multis Propositionibus, Conjunctione subintellectâ.

Exempli gratiâ.

Prov. 22. 9. Bonus oculo dat, dat pauperi, dat panem, dat panem suum, dat de pane suo, benedicetur.

*Num.*1.1. *Deut.*5.22. 1 *Reg.*17.13. *Psal.* 130. 8. *Mat.* 3.13. & 4.1. *Luc.*1. 26, 27. & 2.11. & 4.20. *Act.*4.34. & 5.20. & 10.22. & ver. 33. & 11.18. & 12.5. & 13.23. *Rom.*2.16. *Ephes.*5.20. 2 *Tim.*2.8. *Heb.*11.3. & 13.15.

Versiculi.

a *Aff. cunctis veris vera est: Falsa autem, aliquâ non.*
Neg. cunctis veris falsa est: Vera autem, aliquâ non.
b *Copula, quæ affirmat, pronunciat ut generalis:*
Quæque negat, pronunciat instar particularis.
Quamvis ambæ aliter se habeant aliâ ratione.

CAP.

CAP. XIII.

De Propositione Discretâ.

DIscreta Propositio est, cujus Conjunctio est Discretiva; Sed, ast, at, atqui, autem, verò, verùm, veruntamen, attamen, quanquam tamen.

Estque vel Antithetica, vel Proleptica.

Antithetica est Discreta, cujus Antecedens non occupat objectionem contra Consequens.

Affirmata. Non qui patitur, sed qui facit injuriam miser est.

Cic. de *Or.* 95. *a.* Non enim pudendo, sed non faciendo quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus.

Ut hæc species meliùs distinguatur à posteriore, plura hujus exempla afferemus; ut, *Gen.* 15. 4. & 45.8. *Deut.*9.5. *Isa.*31.3. & 65.13,14. *Mat.* 3. 11, 12. & 5.19. & 7.21,29. & 9.12,13,24. & 10. 20, 28, 32,33,34. & 13.12. & 15. 11, 17, 18, 20. & 16. 17, 25. & 22.30,32. & 25. 29. & 26. 11. *Marc.* 2. 17. & 12. 44. *Joh.* 1. 17. & 3. 17, 18. & 4. 13, 14. & 6.26,27,32,38. & 7.24. & 8.23. & 15. 16. *Rom.* 2. 13,28,29. & 9.8,16. 1 *Cor.*2. 4,5. & 7. 32,33,34,35. & 10.24. & 11.4,5,7,8,9. & 14.2,3,4, 22,23, 24, 33. 2*Cor.*4.18. & 10.18. & 12.14. 1 *Tim.* 4. 8. *Heb.* 5. 13,14. & 7.23,24. & 10.11, 12. & 12. 14. Et frequentissimè in libro *Proverbiorum*, ut Cap.10.1,2,3,4, 5,6,7,8,9,&c.

Anti-

Antitheticæ Negatæ rariores sunt: sed fieri possunt ex Affirmatis præponendo Negationem; modò referatur ad Vinculum sive totam Propositionem, non ad alteram partem.

Proleptica est Discreta, cujus Antecedens occupat Objectionem contra Consequens.

Hujus Antecedens enuntiatur per Conjunctiones adversativas; Quanquam, cùm pro quanquam, quamvis, quantumvis, etsi, tametsi, etiamsi, licèt, ut concedentis, ut ut, utcunque, esto.

Consequens per earum Redditivas; Tamen, attamen, veruntamen, nihilominus.

Exempli gratiâ.

Affirmatæ. Quanquam robustus est, tamen ignavus est. Quanquam anima corpus non est, tamen substantia est. Quanquam planta animata est, tamen animal non est. Quanquam formosus non est, tamen deformis non est.

Psal. 44. 17. *Prov.* 30. 24, 25, 26, 27. *Eccles.* 1. 7. *Cantic.* 1. 5. *Isa.* 1. 18. & 10. 22. *Hag.* 1. 6. *Luc.* 5. 5. & 11. 8. & 18. 4, 5. *Joh.* 8. 14. 2 *Cor.* 4. 16. & 7. 8. & 11. 6. & 13. 4. *Coloss.* 2. 5. *Heb.* 5. 8.

Negatæ. Non quanquam improbus est, tamen prudens est. Non quanquam sentit, tamen non vivit. Non quanquam fidelis non est, tamen amicus est. Non quanquam sanus non est, tamen æger non est.

Vide Copulatas negatas, Cap. 12. §. *Negatæ.*

Quæcunque enuntiari possunt per notas Prolepticas [*Quanquam, tamen*] possunt etiam enuntiari per notas Antitheticas [*Sed, autem.*] Non semper è converso: ut

ut apparet ex omnibus exemplis Antitheticarum modò allatis.

Discreta magnam habet affinitatem cum Copulata: Cui hoc tantùm superaddit, quod partes sunt discretæ; id est, significant aliquam diversitatem inter se. Vide Cap.15,16,17. Et Cap.33,34,35.

b Itaque quoad veritatem & falsitatem eadem est hujus atque illius ratio, eademque Regula, viz. quòd Affirmata vera est, quando utraque pars est vera: Falsa, quando altera pars est falsa. Negata contrá.

c Excipe quòd in Prolepticis Antecedens sæpe accipitur hypotheticè & per modum fictionis, non positivé.

Exempli gratiâ.

Cic. Attic. 193. Ut omnia contingant, quæ volo; levari non possum.

*Ter.Heaut.*Act.3.Sc.2.

——*Satrapes si siet,*
Sufferre amator nunquam ejus sumptus queat.

*Num.*22.18. *Ruth.*1.12,13. 2 *Sam.*18.12. 1 *Reg.* 13.8. *Job.*9.15,21,30,31. *Psal.*27.3. *Prov.* 27.22. *Eccles.*6.6. & 8.12. *Jer.*15.1. & 22.24. & 37.10. & 51.53. *Ezec.* 14.14. *Amos* 9.2,3. *Obad.* ver.5. *Mat.*26.33,35. 1 *Cor.*4.15. & 13.1,2,3. *Gal.*1.8.

Vide Cap. 14. Enallage secundâ Conditionalis pro Discretivâ.

In his Affirmata vera est, quando Antecedens non tollit consequens (id est, quando non infert ejus contradictorium.) Falsa, quando Antecedens tollit consequens. Negata contrá.

Discreta

Discreta affirmata ex ambabus partibus veris, sed non discretis (id est, quando altera pars infert alteram) vera est, sed incommoda, & tantum non ridicula; ut, Quanquam animal vivit, tamen sentit; vel, Quanquam animal sentit, tamen vivit. Cap.2. §. *Si Propositio.*

Convertitur quævis Propositio *Discreta* (sive Antithetica, sive Proleptica) simpliciter: Et quidem remanente tum veritate, tum commoditate sensûs; id est, Si convertenda vera & commoda sit, talis etiam erit conversa. Quod non semper accidit in conversione Copulatæ. Cap.12.§. *Ad veritatem.*

Exempli gratiâ.

Quanquam planta est animata, tamen non est animal: Quanquam planta non est animal, tamen est animata.

Sæpe tamen aliò tendit Convertenda, aliò Conversa.

Exempli gratiâ.

[*Quanquam nihil adhuc dedit, tamen multa & magna promisit,*] significat, spem esse, eum aliquando daturum. E converso, [*Quanquam multa & magna promisit, tamen nihil adhuc dedit,*] significat eum nihil daturum nisi verba.

Sic hæc [*Quanquam Deus misericors est, tamen justus est,*] significat, non præsumendum esse. E converso, [*Quanquam Deus justus est, tamen misericors est,*] significat, non desperandum esse.

Semper enim magis attenditur ad Consequens (utpote quod videtur Positivè & Categoricè enuntiari) quàm ad Antecedens, quod scilicet additur ad illustrationem Consequentis, & sæpe accipitur solummodo hypotheticè; & per modum fictionis, ut dictum est §. *Excipe.*

Crypses Discretarum.

1. Conjunctio aliquando deest.

Cic. Offic. 9. Semper in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum.

Idem *Epist.* fol. 1. Cæteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio.

Idem de *Amic.* 113. Peccasse se non anguntur, objurgari molestè ferunt.

Idem de *Senect.* 84. Tantam domum, tantas clientelas *Appius* regebat, & senex & cæcus; id est, quamvis & senex & cæcus esset.

Ter. Andr.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Psal. 91.7. *Prov.* 11.21. & 16.5. & 27.12. *Isa.* 26. 10,13. *Mat.* 27.42. *Marc.* 2.27. *Joh.* 2.10. & 4.22. & 8.15,23,35. & 17.9. & 20.29.

2. Aliquando Conjunctio implicatur in Participio; ut, *Mat.* 7.11. & 26.60. *Marc.* 6.26. *Luc.* 5.5. *Joh.* 4.9. & 7.15. & 12.37. & 21.11. *Act.* 13.28. & 28. 4,17. *Rom.* 1.22,32. & 7.3. 1 *Cor.* 9.19,21. 2 *Cor.* 8.9. & 10.3. *Gal.* 4.1. 1 *Tim.* 1.7. *Philem.* ver. 8. *Heb.* 5.8,12. & 12.17. *Jac.* 3.4. 1 *Pet.* 1.6,8. 2 *Pet.* 2.11, 19. 2 Ep. *Joh.* ver. 12.

3. In Prolepticis partes aliquando invertuntur; *Jos.* 17. 18. *Judic.* 15. 3. *Ruth* 2. 13. *Neh.* 13. 26. *Job.* 2. 3. *Jer.* 51. 5. *Ezec.* 2. 6. *Job.* 4. 2. *Act.* 13. 41. 2 *Cor.* 7. 8. & 12. 11, 15. & 13. 7. *Gal.* 4. 1. *Philip.* 3. 3, 4. *Philem.* ver. 19. *Heb.* 6. 9. & 12. 17. 2 *Pet.* 1. 12, & 2. 10, 11.

d *De Exceptivâ & Exclusivâ.*

Ad Propositionem Discretam referuntur *Exceptiva* & *Exclusiva*. Quarum alterâ affirmatâ altera negatur.

Exempli gratiâ,

Exceptivâ affirmatâ Exclusiva negatur; ut, Omne animal præter hominem est irrationale; id est, Solus homo ex animalibus non est irrationalis. Et per Discretam, Reliqua animalia, sunt irrationalia, sed homo non est.

Gen. 47, 22. *Jos.* 11. 19. *Act.* 8. 1. & 26. 29.

Exclusivâ affirmatâ Exceptiva negatur; ut, Solus homo ex animalibus est rationalis: id est, Nullum animal præter hominem est rationale. Et per Discretam, Homo est rationalis, sed reliqua animalia non sunt rationalia.

Gen. 7. 23. *Jos.* 6. 15. 1 *Sam.* 5. 4. 2 *Sam.* 17. 2. 1 *Reg.* 8. 39. & 14. 13. & 15. 5. 2 *Reg.* 5. 15. *Dan.* 2. 11. *Mat.* 4. 10. & 12. 39. & 13. 57. & 14. 17. & 15. 24. & 17. 21. & 19. 17. *Marc.* 2. 26. & 6. 4, 5. *Luc.* 17. 18. *Joh.* 3. 13. & 6. 46. & 17. 12. *Act.* 18. 25. *Rom.* 13. 8. 1 *Cor.* 2. 2, 11. *Gal.* 1. 19. & 6. 14. 2 *Tim.* 4. 11.

Ambæ simul. *Exod.* 12. 16. & 22. 20. *Deut.*4. 35. *Judic.*11.34. 1 *Reg.*12.20. & 22.31. 2 *Reg.*17. 18. *Mat.*12. 4. & 17. 8. & 21. 19. *Marc.* 6. 8. & 9. 8. *Luc.* 5.21. *Act.*11.19. *Phil.*4.15.

Et quemadmodum Exceptiva & Exclusiva ponuntur pro Discretâ, ita & Discreta pro illis.

*Gen.*2.16,17. & 3.2,3. *Levit.* 21. 1, 2. *Num.* 14. 23, 24, 30,31. 1 *Sam.* 13.22. 1 *Reg.* 1. 9,10,25,26. 2 *Chron*. 6.5,6. *Neh.*4.23. *Mat.*12.31.

Vide Cap.14. *Enallage* 10[a], & 11[a].

Versiculi.

a *Antithesis prior est, Objectumque occupat alt'ra,*
b *Copulam & in vero & falso Discreta imitatur.*
c *Excipe quod primâ est aliquando Proleptica fictâ: Hæc*
Verè affirmat, cùm non tollit prima Secundam:
Verè eademque negat, cùm tollit prima Secundam.
d *Exceptivâ atque Exclusiva etiam huc referuntur.*
Harumque alterutram si affirmes, alt'ra negatur.

CAP.

CAP. XIV.

De Propositionum Hypotheticarum Enallage.

DE ipsis Propositionibus Hypotheticis tum in genere, tum in specie hactenus diximus: Restant earum Affectiones, Quarum prima est *Enallage*.

a Conjunctionum, adeoque ipsarum Propositionum Hypotheticarum, Enallage est, cùm una Conjunctio, adeoque una Hypothetica Propositio pro aliâ accipitur.

b Hujus aliquas species, Exempli causâ, ponemus; reliquas aliorum observationi relinquentes.

I. *Conditionalis pro Causali vel Temporali.*

Si, pro *Quia*, vel *Quando*.

Cic. Catil. 111. *a.* Si non minùs jucundi atque illustres sunt ij dies, quibus conservamur, quàm illi quibus nascimur, &c.

Idem pro *S. Roscio* 35. Si prodierit, atque adeò cùm prodierit, scio enim proditurum.

Mat. 6. 30. & 10. 25. *Joh.* 7. 23. & 10. 35. & 13. 14. & 14. 3. *Act.* 11. 17. *Rom.* 8. 17. & 11. 6, 12. 1 *Cor.* 6. 2. *Gal.* 4. 7. 1 *Joh.* 3. 2. & 4. 11.

In his enim utraque pars θετικῶς, sive positivè accipitur.

Sic Hebraicè אִם Si, pro Siquando, vel Quandocunque, significans actum sæpe repetitum. *Exod.* 40. 37. *Num.* 21. 9. *Judic.* 6. 3. *Psal.* 50. 18. & 63. 6. & 78. 34. & 94. 18. & 138. 7. *Prov.* 3. 24. & 4. 12. *Isa.* 4. 4.

2. Conditionalis pro Discretivâ.

Si, pro *Etsi.*

Cic.Offic. 59. Si omnes Deos hominesque celare possimus: Nihil tamen avarè, nihil injustè, &c. esse faciendum.

Idem in *Ver.* 61. Si nemo tibi responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses.

Ter. Eunuch.

Redeam? Non si me obsecret.

Num. 22. 18. 2 *Sam.* 18. 12. 1 *Reg.* 13. 8. *Job.* 9. 15, 16, 30. *Psal.* 139. 8. *Prov.* 27. 22. *Eccles.* 11. 8. *Isa.* 1. 18. *Jer.* 14. 7. & 15. 1. & 22. 24. & 37. 10. *Hos.* 4. 15. *Amos* 9. 2, 3, 4. *Obad.* ver. 4, 5. *Mat.* 16. 26. *Luc.* 16. 31. & 17. 4. & 22. 67, 68. *Rom.* 9. 27. 1 *Cor.* 4. 15. & 9. 2. & 13. 1, 2, 3. 2 *Cor.* 5. 1, 16. *Coloss.* 2. 5. 2 *Tim.* 2. 13.

Vide Cap. 13. §. *Excipe quòd.*

3. *Copulativa pro Connexivâ.*

Et, pro *Si, Quia, Quando, Dum.*

Num. 16.22. *Jos.* 22. 20. *Job.* 24. 11. & 31. 8. *Psal.* 33. 9. & 42. 4. & 104. 22, 32. *Prov.* 1. 24. & 11. 2. & 23. 14. *Isa.* 5. 4. & 50. 2. & 65. 22. *Amos* 3. 4, 5, 6. *Mat.* 18. 21. & 25. 35, 36, 42, 43.

Præsertim cum Modo Imperativo.

Job. 1. 11. & 2. 5. *Psal.* 37. 3, 4, 5, 27, 34. *Prov.* 4. 4, 6, 8, 10. & 7. 2. & 9. 8, 9. & 16. 3. & 19. 25. & 22. 6, 10. & 25. 4, 5. & 29. 17. *Amos* 5. 4, 6. *Mat.* 7. 7, 8. & 8. 9. *Luc.* 6. 35, 37, 38. & 10. 28. & 11. 41. & 12. 31. *Job.* 2. 19. *Jac.* 4. 7, 8, 10. *Apoc.* 2. 10. *Sirac.* 11. 34. & 30. 9.

4. *Copulativa* pro *Antitheticâ.*

Et pro *Sed.*

Gen. 2. 17. & 3. 3. *Psal.* 115. 18. *Luc.* 15. 24, 32. *Job.* 7. 28, 30. *Act.* 7. 9. & 9. 26. & 10. 28. & 16. 7. 1 *Cor.* 5. 10. & 16. 12.

5. *Copulativa* vel *Antithetica* pro *Prolepticâ.*

Et, vel *Sed*, *pro Quanquam, Tamen.*

Senec. lib. 10. Epist. 74.

Soli Lunæque plurimum debeo:
Et non uni mihi oriuntur.

Id est, Quanquam non uni mihi.

*Gen.*40.23. *Psal.*115.5,6,7. *Jer.*27. 15. *Mat.* 6. 26. & 11. 25. & 12. 39. *Luc.* 4. 26, 27. & 12. 24. *Joh.*9.30. & 16.32. & 20.29. & 21.23. *Act.* 7. 5. *Rom.* 6. 17. 1 *Cor.* 12. 5. 2 *Cor.* 6. 9, 10. & 13. 7. 2 *Thess.*3.15.

6. *Copulativa* pro *Redditivâ Connexæ.*

Et, pro *Tum*, *Sic*, *Idem*.

Hor. lib.2. Sat. 3.

Qui sceleratus, & furiosus erit.

Id est, Idem etiam furiosus erit.

Senecâ de *Ira*, lib.2.cap.33.

Quos læserunt, & oderunt.

Id est, Eosdem etiam oderunt.

In lingua Hebraicâ nihil frequentius est. *Gen.* 18. 26. & 31. 8. & 32. 8. & 33. 10. & 43. 9. *Exod.*1.16. & 4.8. & 12.25,26,27. & 17.11. *Num.* 21.9. *Deut.*5.25. & 11.14. 1 *Sam.*17.9,24. 2 *Sam.* 10.11. & 15.10. 1 *Reg.*8.32,34,36,39,45,49. 2 *Reg.* 7.4. *Psal.* 78.34.

Similiter in linguâ Hellenisticâ. *Mat.*6.10. & 9. 10. & 28.9. *Marc.*2.15. *Luc.*2.15,21,27,28. & 5.1, 12, 17. & 7.12. & 8. 1, 22. & 9. 28, 51. & 10. 38. & 13.25. & 14.1. & 17.11. & 19. 15, 43. & 24. 4, 5. *Act.*1.10. & 7.57. & 10.17. 2 *Cor.*2. 2, 10. 2 *Tim.* 2.11,12,13. *Jac.*2.4. 1 *Joh.*2.18. *Apoc.*14.9,10.

7. Copu-

7. *Copulativa* pro *Disjunctivâ.*

Et, pro *Aut.*

Ter. Andr.

Quo jure quâque injuriâ.

Id eſt, Quâve.

*Gen.*45.6. *Exod.*12.5,9. & 13.22. & 20.4,10, 17, & 21.15,16,17. *Num.*20.17. *Deut.*2.27. & 5.32. & 17.11,20. & 18.10,11. *Joſ.* 8. 20. 2 *Sam.* 2. 19. & 24.13. 1 *Reg.*18.10,27. 2 *Reg.*5.17. *Pſal.*139. 8,9. *Prov.*20.20. & 30.8. *Eccleſ.* 4.8. *Jer.* 36.23. & 44. 28. *Ezek.* 14.16,18,20. *Mal.*4.1. *Luc.*1. 15. & 12. 38. *Act.*3.6. 2 *Cor.*13.1.

Et, ut ſemel dicam, Copulativa *Vau* apud Hebræos pro omnibus fere Conjunctionibus uſurpari ſolet.

8. *Disjunctiva cum Interrogatione* pro *Antitheticâ.*

Utrùm hoc an illud; i. e. *Non hoc ſed illud.*

Cic. Paradox. 125. *a.* Uter ditior eſt? Cui deeſt, an cui ſuperat? Qui eget, an qui abundat? id eſt, Non ille, ſed hic.

Idem in *Ver.* 194. Utrùm crimini defenſio, an comitatus exilio quæritur? id eſt, Non illud, ſed hoc.

*Judic.*9.2. & 18.19. *Mat.*9.5. & 23.17,19. *Marc.* 3.4. *Luc.*22.27. *Act.*4.19. *Rom.*4. 9, 10. 1 *Cor.* 4. 21. & 9.8,10. *Gal.*1.10. & 3.2,5. *Tobit* 5.11.

9. *Antithetica* pro *Copulativâ*:

Non hoc sed illud; i. e. *Non solùm hoc, sed etiam illud*; vel, *Non tam hoc quàm illud.*

Cic. in *Ver.* 77. *b.* Non furem sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum Religionumque omnium: non sicarium sed crudelissimum carnificem civium sociorumque, &c.

Gen. 35. 10. & 45. 8. *Exod.* 16. 8. *Num.* 11. 19, 20. *Deut.* 5. 3. *Jos.* 17. 17. 1 *Sam.* 8. 7. & 10. 14. 2 *Reg.* 6. 10. *Ezr.* 10. 13. *Prov.* 22. 29. *Jer.* 7. 22, 23. *Mat.* 10. 20. & 18. 22. *Marc.* 9. 37. *Luc.* 10. 20. & 14. 12, 13. *Joh.* 4. 21, 42. & 7. 16. & 12. 30, 44. & 14. 24. *Act.* 5. 4. *Rom.* 15. 3. 1 *Cor.* 1. 17. & 4. 19. 2 *Cor.* 2. 5. & 8. 5. *Ephes.* 6. 7. 1 *Thess.* 4. 8. 1 *Tim.* 2. 14. 1 *Pet.* 3. 3, 4. 1 *Joh.* 3. 18.

10. *Exceptiva* pro *Antitheticâ*,

Εἰ μὴ, vel ἀλλ' ἢ, pro Ἀλλά.

Deut. 4. 12. 1 *Reg.* 3. 18. *Mat.* 12. 4. & 24. 36. *Marc.* 13. 32. *Luc.* 4. 26, 27. *Act.* 21. 25. *Rom.* 14. 14. *Gal.* 1. 7. & 2. 16. *Apoc.* 9. 4. & 21. 27. Compara *Marc.* 9. 8. cum *Mat.* 17. 18. & *Mat.* 5. 13. cum *Luc.* 14. 34.

11. *Anti-*

11. *Antithetica* pro *Exceptivâ.*

Ἀλλά, pro Εἰ μή.

Marc. 10.40. Vide Cap.13. §. *Et quemadmodum.*

12. *Finalis* pro *Illativâ.*

Psal. 51. 4. *Isa.* 6. 10. *Jer.* 25. 7. & 27. 10, 15. *Mat.* 10.34,35. & 13.14. *Luc.* 8.10. *Joh.* 9.39.

13. *Copulativa* pro *Relativâ essentiæ.*

Et ille, pro *Qui. Et ejus*, pro *Cujus.*

Gen. 22. 24. 1 *Sam.* 1. 1. & 21. 7. & 22. 9, 20. 2 *Sam.* 12. 30. & 21. 16, 19. *Jer.* 20. 1. *Luc.* 6. 6. & 8.41. & 19.2.

14. *Copulativa* pro *Relativâ temporis*; vel *Ablativo absolutè sumpto.*

Gen. 18. 1. Et ipse sedebat; id est, Dum ipse sedebat; vel, Ipso sedente.

Sic *Gen.* 19.23. & 24. 10. *Jos.* 18. 1. *Judic.* 2. 21. & 4. 1,21. & 8.11. 2 *Sam.* 17.2. & 24. 3, 13. 1 *Reg.* 1.41,42. 2 *Chron.* 34.3. *Job.* 2.8. *Jer.* 20. 4. & 31. 35. & 34. 1. & 38.7. & 40.1. *Marc.* 15.25.

Versiculi.

a *Compositæ inter se variè sua Vincula mutant,*
Atque ipsæ inter se variè mutantur ab illis.

b *Exempli*

b *Exempli causâ quædam observavimus: Atqui*
Multa aliis etiam observanda reliquimus ultro.

CAP. XV.

De Hypothesi & Consequentiâ Propositionum Hypotheticarum.

DIximus suprà Cap. 9. Omnem Propositionem Compositam rectè & propriè dici Hypotheticam. Esse enim in singulis speciebus aliquam Hypothesin & Consequentiam, sive Illationem alicujus Consequentis ex aliquo Antecedente. Quænam verò ea sit, & quomodo affirmetur & negetur, hoc jam Capite ostendetur,

a Duo autem hîc præmittenda sunt: 1. Copulatam & Discretam, ut suprà quoad Veritatem & Falsitatem, Cap. 12 & 13. ita & hîc quoad Hypothesin & Consequentiam, & in sequentibus quoad Æquipollentiam & Contradictionem, ejusdem rationis esse, atque adeo pro unâ atque eâdem specie sumi. 2. Connexam & Disjunctam, Affirmatas affirmare, Negatas negare suas Consequentias: Copulatam & Discretam, Negatas affirmare, Affirmatas negare suas Consequentias.

His præmissis, Regulæ de Hypothesi, & Consequentiâ Propositionum Hypotheticarum tres sunt, pro tribus earum speciebus.

b 1. *Connexa*; Affirmata affirmat, Negata negat, ipsum Consequens sequi ex ipso Antecedente, & contradictorium Antecedentis ex contradictorio Consequentis.

Exempli gratiâ.

Affirm. Si homo est, animal est: Et, Si non est animal, non est homo.

Neg. Non si animal est, homo est: Et, Non si homo non est, animal non est.

Ex hac reliquæ pendent, ut dictum est Cap. 10. §. *Hanc ex Hypotheticis.*

c 2. *Disjuncta*; Affirmata affirmat, Negata negat alteram partem sequi ex contradictorio alterius.

Exempli gratiâ.

Aff. Aut dies est, aut nox est; id est, Si dies non est, nox est: Et, Si nox non est, dies est.

Neg. Non aut album est, aut nigrum est; id est, Non si album non est, nigrum est: Et, Non si nigrum non est, album est.

d 3. *Copulata & Discreta*; Negatæ affirmant, Affirmatæ negant, Contradictorium alterius partis sequi ex alterâ.

Exempli gratiâ.

Neg. Non & amicus est & tamen adulator est; id est, Si amicus est, adulator non est: Et, Si adulator est, amicus non est.

Aff. Et liberalis est, & frugalis est; id est, Non si liberalis est, frugalis non est: Et, Non si frugalis est, liberalis non est.

e Cùm

e Cùm autem Consequentiæ affirmatio Universalitatem, negatio Particularitatem importet (ut dictum est Cap. 10. §. *Conditionalis affirmata*) Ideo hac ratione, Disjuncta convenit cum Connexâ, id est, Affirmata est instar Universalis, Negata est instar Particularis. Similiter Copulata & Discreta inter se conveniunt, id est, Negatæ sunt instar Universalium, Affirmatæ instar Particularium: Licet aliâ ratione contrà, Cap. 11, 12, 13.

Harum Regularum confirmationem & usum, vide Cap. 30, 31, 32, 33, 34, 35.

Versiculi.

a *Antè notanda duo, quàm quævis Regula detur.*
1. Copulaque & Discreta æquè sumuntur ut una,
2. Connexa & Disjuncta affirmatæ atque negatæ,
Consimili pacto affirmantque negantque sequelam.
Copulaque & Discreta affirmatæ atque negatæ,
Dissimili pacto affirmantque negantque sequelam.
b *Partem infert Connexa ex præcedente sequentem;*
Et contraponens contradictoria nectit.
c d *Alt'rum ex Opposito alterius Disjuncta: Utriusque*
Oppositum ex alt'ro Discreta & Copula nectunt.
e *Hac ratione igitur Disjuncta instar generalis,*
Copulaque & Discreta est instar particularis:
Quamvis è contra se habeant aliâ ratione.

CAP.

CAP. XVI.

De Æquipollentiâ & Contradictione Propositionum Hypotheticarum inter se.

EX iis, quæ dicta sunt Capite præcedente pendent Regulæ de Propositionum Hypotheticarum Æquipollentiâ & Contradictione inter se. Quæ tres sunt:


a 1. *Connexa & Disjuncta*, ex contradictoriis Antecedentibus & iisdem Consequentibus, similes æquipollent, dissimiles contradicunt.

b 2. *Connexa & Copulata* (sive *Connexa & Discreta*) ex iisdem Antecedentibus & contradictoriis Consequentibus, Dissimiles æquipollent, Similes contradicunt.

c 3. *Disjuncta & Copulata* (sive *Disjuncta & Discreta*) ex singulis partibus contradictoriis, Dissimiles æquipollent, Similes contradicunt.

Quæ omnes Regulæ hoc Diagrammate ad oculum exhibentur.

Connexa


Connexa
Ex Contradictoriis Antecedentibus & iisdem Consequentibus, Similes æquipollent, Dissimiles contradicunt.
Ex iisdem Antecedentibus & Contradictoriis Consequentibus, Dissimiles æquipollent, Similes contradicunt.
Si sentit vivit.
Aut non sentit aut vivit.
Non & sentit & non vivit.
Disjuncta.
Ex singulis partibus contradictoriis Dissimiles æquipollent, Similes contradicunt.
Copulata sive Discreta.

Harum

Harum omnium Exempla.

Æquipollentes veræ.	*Æquipollentes falsæ.*
Si homo est, animal est.	Non si homo est, animal est.
Aut homo non est, aut animal est.	Non aut homo non est, aut animal est.
Non & homo est, & animal non est.	Et homo est, & animal non est.
Non quanquam homo est, tamen animal non est.	Quanquam homo est, tamen animal non est.

Omnes & singulæ Propositiones unius Columnæ contradicunt omnibus & singulis Propositionibus alterius Columnæ.

Similiter & earum conversæ.

Ramus Dialect. lib. 2. cap. 16. Videtur ponere Axioma Disjunctum affirmatum, & Copulatum negatum (ex iisdem partibus) tanquam æquipollentia. Quod ex eo infertur, quod ante dixerat Cap. 8. ejusdem libri, E disjunctis unicum tantùm esse verum.

Quòd autem è disjunctis non semper unicum tantùm sit verum, suprà ostendimus Cap. 11. §. *Ad veritatem.*

Et, quod Disjuncta affirmata & Copulata negata (ex iisdem partibus) non æquipolleant, ex eo manifestum est, quia alterá earum existente verâ, altera potest esse falsa.

Exempli gratiâ.

In his, [*Aut album aut nigrum est: Non & album & nigrum est*] Disjuncta affirmata falsa est, Copulata negata vera est. Contrà in his, [*Aut animal est, aut homo*

homo non est : Non & animal est, & homo non est] Disjuncta affirmata vera est, Copulata negata falsa est.

Sed ut redeamus ad Regulas nostras, Ex iis apparet, quamlibet Propositionem hypotheticam per omnes species variari posse, eidemque posse per omnes species contradici.

Usus harum Regularum.

Quod obscure forsan in unâ specie Hypotheticæ enuntiatur, idem clarè & perspicuè in aliâ aliquâ specie enuntiari potest. Et quamvis satis clarè in unâ specie enuntietur, adhuc clariùs fit, si in pluribus. Atque idem intellige de contradicendo cuivis Propositioni hypotheticæ.

Exempli gratiâ.

Cic. de *Or.* 136,*b.* Nec si *Crassus* hoc non committit, ideo non multi & sæpe committunt. Hæc connexa negata clariùs enuntiatur per Prolepticam affirmatam; viz. Quanquam *Crassus* hoc non committit, tamen multi & sæpe committunt.

Idem pro *Milone* 105.*a.* Non quia perfecta res non est, non fuit punienda; id est, Quanquam perfecta res non est, tamen fuit punienda.

Quintilian. lib.1.cap.1. Nec si quid discere satis non est, ideo necesse non est; id est, Quanquam satis non est, tamen necesse est.

Sic in Copulatis, præsertim negatis,

Exempli

Exempli gratiâ.

Cic. de *Divin.* 1 30.*a.* Non & sunt dii, nec significant futura. Clariùs per Disjunctam, Aut dii non sunt, aut significant futura. Clarissimè per Connexas, Si dii sunt, significant futura: Si non significant futura, dii non sunt.

Job. 7.4. Nemo occultè facit aliquid, & quærit ipse celebris esse. Per Disjunctam, Aut non occultè facit aliquid, aut non quærit ipse celebris esse. Per Connexas, Si facit aliquid occultè, non quærit ipse celebris esse: Et si quærit ipse celebris esse, non facit aliquid occultè.

Et sæpe per Interrogationem, ut *Job.* 2. 10. An bonum accipiemus de manu Domini, & malum non accipiemus? id est, Non & bonum accipiemus, & malum non accipiemus. Item per Disjunctam, Aut bonum non accipiemus, aut etiam malum accipiemus; vel, Aut malum accipiemus, aut bonum non accipiemus. Per Connexas, Si bonum accipiemus, etiam malum accipiemus: Sin malum non accipiemus, tum nec bonum accipiemus.

Multas Copulatas huic similes, vide Cap. 12. §. *Sæpe exprimitur.*

Exempla contradicendi uni speciei per aliam.

Joh. 8. 13, 14. Pharisæi objiciunt Christo, Tu de teipso testimonium perhibes: Ergo, Testimonium tuum non est verum.

Huic Connexæ contradicit Christus per Prolepticam, Etsi testimonium perhibeo de meipso, tamen testimonium meum est verum.

Similiter *Abraham* contradicit diviti, *Luc.* 16. 30, 31.

Disjunctæ contradicitur per Copulatam, *Job.* 9.2,3. *Apoc.*3.15,16.

Ne autem desit ad manum satis exemplorum tum *Æquipollentiæ* tum *Contradictionis:* sumamus omnia Exempla singularum specierum suprà data, Cap. 10, 11, 12, 13. eorumque Conversa; iisque tum Æquipollentia tum Contradicentia ex reliquis speciebus secundum supradictas Regulas dare possumus.

Versiculi.

Connexa, & Disjuncta.

a *Æquivalent similes,* } *Pars dissimilis, similisque.*
Pugnant dissimiles,

Connexa, & Copulata sive Discreta.

b *Dissimiles æquant* } *Similis pars, dissimilisque.*
Et similes pugnant

Disjuncta, & Copulata sive Discreta.

c *Dissimiles æquant* } *si partes dissimiles sunt.*
Et similes pugnant

d *Quod forte æquivalet vel contradicit in uno*
Obscurè, in reliquis poterit fieri bene clarum.

C A P.

CAP. XVII.

De Propositionum hypotheticarum Relationibus & Æquipollentiis ad Categoricas.

QUamvis Propositiones hypotheticæ nullam propriè quantitatem habeant; id est, neque Universales neque Particulares sint, adeoque nullam aliam relationem ad se invicem habeant, nisi Contradictionem: tamen habent in se aliquid instar quantitatis, adeoque & inter se, & ad Categoricas habent etiam aliquid instar Contrarietatis, & Subcontrarietatis, & Subalternationis.

Hoc ut appareat, imprimis repetenda est illa Regula Categoricarum Cap. 3. §. *Quoad sensum.* Et sumenda est Negatio prædicati affirmato Vinculo, pro negatione Vinculi affirmato prædicato.

Hoc præmisso, Regulæ de Hypotheticarum quatuor Relationibus & Æquipollentiis, tum inter se, tum ad Categoricas, duæ sunt.

a 1. *Categoricæ Universali*, adeoque inter se, Æquipollent, Connexa affirmata ex utrâque parte simili: Disjuncta affirmata ex dissimili Antecedente & simili Consequente: Et Copulata atque Discreta negatæ ex simili Antecedente & dissimili Consequente.

b 2. *Categoricæ Particulari*, adeoque inter se, Æquipollent, Connexa negata ex simili Antecedente, & dissimili Consequente: Disjuncta negata ex utrâque parte dissimili: Copulata & Discreta affirmatæ ex utrâque parte simili.

Quæ omnia hoc Diagrammate ad oculum exhibentur.

 Uni-

Universal. affirm. Falsæ. Omne vivens sentit. Si vivit, sentit. Aut non vivit, aut sentit. Non & vivit, & non sentit. Non quanquam vivit, tamen non sentit.	Contrariæ.	*Universal. negat. Falsæ.* Nullum vivens sentit. Si vivit, non sentit. Aut non vivit, aut non sentit. Non & vivit, & sentit. Non quanquam vivit, tamen sentit.
Subalternæ.	Contradictoriæ. Contradictoriæ.	Subalternæ.
Particular. affirm. Veræ. Aliquod vivens sentit. Non si vivit, non sentit. Non aut non vivit, aut non sentit. Et vivit, & sentit. Quanquam vivit, tamen sentit.	Subcontrariæ.	*Particular. negat. Veræ.* Aliquod vivens non sentit. Non si vivit, sentit. Non aut non vivit, aut sentit. Et vivit, & non sentit. Quanquam vivit, tamen non sentit.

c Harum singulis Æquipollent suæ Conversæ, adeoque eodem modo & referuntur & Æquipollent. Vide Cap.9.§.*De Conversione*; & Cap.16.§.*Similiter &c.*

Versiculi.

a *Connexa & Disjuncta affirmatæ generales*
Sunt: simili illa ex utrâque, hæc ex parte secundâ.
Conjuncta & Discreta negatæ sunt generales;
Si simili ex primâ sunt, dissimilique secundâ.
b *Particulares Connexa & Disjuncta negatæ*
Sunt: illa ex simili primâ tantùm, ista secundâ.
Particulares sunt itidem, quas Copula jungit,
Et Discreta affirmatæ; si ex partibus iisdem.
c *Vertendis notum est versas planè æquivalere.*

CAP. XVIII.

De Propositionibus Decompositis.

a DEcompositam Propositionem voco, cujus partes, aut etiam partium partes, sunt Compositæ.

b In hac semper plures, sæpè variæ sunt Conjunctiones. Sed illa Conjunctio est Principalis, & dat speciem & nomen toti Propositioni, quæ totam exhaurit; id est, quæ partes integrantes totius conjungit. Reliquæ Conjunctiones (suo quæque ordine) partium partes conjungunt, easque denominant. Omnes autem ultimò resolvuntur in Categoricas.

Hujusmodi sunt pleræque omnes longiores periodi. Quinimo sæpe diversæ periodi, utpote Conjunctionibus devinctæ, in unam Propositionem *Decompositam* coalescunt.

Ad hujusmodi Propositiones tum resolvendas atque intelligendas, tum etiam componendas, earumque partes & particulas suis quasque interpunctionibus artificiosè distinguendas, vocem denique in legendo & pronuntiando debitè & suaviter moderandam, hæc pars Logicæ (*De Propositionibus Compositis & Decompositis*) mirificè utilis est & necessaria.


In hos igitur usus Exempla quædam variorum Generum ex Autoribus transcribere, & quædam in suas partes & particulas resolvere non gravabimur: Præcipuè Connexas & Discretas. Copulatæ enim (nisi in historiis & narrationibus) rarò, & Disjunctæ rariùs, inveniuntur Decompositæ principales sive integræ; minùs Principalibus frequenter inserviunt.

I. *Con-*

I. *Connexæ.*

Et, I. *Conditionales.*

Cic. in principio primæ Orationis in *Verrem* (quæ dicitur Divinatio in *Verrem*) fol. 55. Si quis veſtrûm, Judices, aut eorum, qui adſunt, fortè miretur, me, qui tot annos in cauſis judiciiſque publicis ita ſim verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem, ſubitò nunc mutatâ voluntate ad accuſandum deſcendere: Is ſi mei conſilii cauſam rationemque cognoverit; unà & id quod facio probabit, & in hac cauſâ profectò neminem mihi eſſe præponendum actorem putabit.



Idem in principio Orationis pro *Sextio* 1. Si quis antea Judices, mirabatur, quid esset, quòd pro tantis opibus Reipublicæ, tantâque dignitate Imperii nequaquam satìs multi cives forti & magno animo invenirentur, qui auderent se & salutem suam in discrimen offerre pro statu Civitatis, & pro communi libertate: Ex hoc tempore miretur potiùs, si quem bonum & fortem Civem viderit, quàm si quem aut timidum, aut sibi potiùs quam Reipublicæ consulentem.

Exod. 15.26. & 22.1. & vers. 2,3. & ver. 5. & ver. 6. & ver. 7,8. & ver. 10,11. & ver. 14, 15. & ver. 16,17. & ver. 22, 23,24. & ver. 25,26,27. *Levit.* 6.2,3,4,5,6,7. & 25. 47,48,49. *Deut.* 13.1,2,3,4,5. & ver. 6. ad finem ver. 11. & ver. 12. ad finem Capitis. Et cap. 21. 1. ad finem ver. 9. & ver. 10. ad finem ver. 14. & ver. 15, 16, 17. & ver. 18,19,20,21. & ver. 22,23. 1 *Reg.* 8.31,32. & ver. 33, 34. & ver. 35,36. & ver. 37, 38, 39, 40. & ver. 44,45. & ver. 46,47,48,49,50,51,52,53. *Mat.* 5. 23,24. & 21.21,22. 2 *Thess.* 3.14, 15. 1 *Tim.* 5.16. & 6.3,4,5. *Heb.* 2.2, 3,4. *Jac.* 1.26. & 2.2,3,4. & ver. 15,16.

2°. *Causales, Rationales, Illativæ.*

Gen. 22.16,17,18. 1 *Reg.* 3.11,12,13, 14. *Prov.* 1. 24,25,26,27. *Isa.* 29.13,14. & 37.29. *Jer.* 7.13,14, 15. & 9.13,14,15,16. *Ezec.* 25. 3, 4, 5. & ver. 6, 7. & ver. 8,9,10,11. & ver. 12, 13, 14. & ver. 15, 16, 17. & 26.2,3,4,5,6. *Mat.* 6.19,20,21. *Luc.* 1.1,2,3,4.

3°. *Rela-*

3°. *Relativæ. Essentiæ.*

Cic. Act. 1. in *Verrem* 66. Quod erat optandum maximè, Judices, & quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamiamque Judiciorum sedandam maximè pertinebat: Id non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo Reipublicæ tempore videtur.

Relativa Essentiæ.
- (Copulat.)
  - Quod erat optandum maximè, Judices,
  - & quod unum maximè pertinebat ad sedandam (Cop.)
    - Invidiam vestri Ordinis,
    - Infamiamque Judiciorum:
- Id (Connex.)
  - Summo Reipublicæ tempore, (id est, quando maximè interest Reipublicæ)
  - videtur (Cop.)
    - datum atque oblatum
      - Vobis (Discret.)
        - non humano consilio,
        - sed prope divinitus.

Idem longiore Periodo, Ad *Quirites* post reditum, 198. Quod precatus sum, &c. ——— Maxime lætor *Quirites.*

Exod. 9. 19. *Luc.* 9. 26. *Philip.* 4. 8, 9. 1 *Joh.* 1. 1, 2, 3.

Quantitatis.

Apoc. 18. 7.

Quali-

Qualitatis.

*Jos.*23.15. *Psal.*123.2. *Prov.* 1. 17, 18, 19. *Ezec.* 33.2, ad finem ver.9. *Luc.*17.26,27,28, 29, 30. *Gal.* 4.1,2,3,4,5.

Loci.

2 *Sam.*15.21. *Mat.*26.23. *Jac.*3.16.

Temporis.

*Deut.*22.8. *Mat.*25.31,&c. *Luc.*14.12,13,14. *Rom.* 9.11,12. 1 *Thess.*5.3.

II. *Disjuncta.*

Cic. in *Catilin.* 106. Aut exeant, aut quiescant, aut si & in urbe, & in eâdem mente permaneant; quæ merentur, expectent.

(Disjunct.)
- Aut exeant,
- aut quiescant,
- aut (Connex.)
  - si permaneant (Cop.)
    - & in Urbe,
    - & in eâdem mente;
  - (Relat.)
    - quæ merentur,
    - expectent.

Ezec. 14.13. ad finem ver.20. *Luc.* 13.2, 3, 4, 5. & 14.28,29,30,31,32.

Alia exempla vide Cap. 19. §. *Disjuncta inter se*; & §. *Disjuncta cum Copulatis*; & §. *Disjuncta cum Discretis.*

III. *Copulatæ.*

Gen. 1. Opera sex dierum. *Deut.* 20.5,6,7,8. Quatuor Proclamationes.

Mat. 13. Variæ Parabolæ.

1 *Cor.* 13.1,2, 3. Variæ Prolepticæ ejusdem consequentis, quòd Absque charitate nihil sumus.

Sic in omnibus narrationibus rerum gestarum, aut gerendarum.

1 *Sam.* 10.2,3,4,5,6. Varia signa *Sauli* data per *Samuelem.*

Vide Cap. 19. §. *Copulatæ inter se*; & §. *Copulatæ cum Discretis.*

IV. *Discretæ.*

1°. *Prolepticæ.*

Cic. in principio Orationis pro lege *Manilia* 1. Quanquam mihi semper, &c.——prohibuerunt.

Idem pro *Rabirio* 90. *b.* Etsi, *Quirites*, non est meæ consuetudinis——ad absolvendum debet videri.

Idem *Epist.* fol. 52. Etsi adhuc——à dignitate.

Et fol. 62. Etsi statueram——non possem.

Et fol. 71. Etsi unus——sanare potuisset.

Idem *Offic.* 1. Quanquam te *Marce* fili——facultate.

Ter.

Ter.Heaut. Act.1. Sc.1.

Quanquam hæc——adhortatur tua.

Virg. 6. *Æneid.* ver. 6.

Quis talia fando——Incipiam.

1 *Cor.*13. Etsi loquar linguis (Cop.) { hominum, & Angelorum:

(Prolep.) Tamen { si charitatem non habeam;

(Connex.) { factus sum ut (Disjunct.) { Æs sonans, aut cymbalum tinniens.

*Neh.*5.8. *Eccles.*8.12,13. *Isa.*30. 20,21. *Jer.* 37. 10. *Hos.*4.2,3,4. *Luc.*10.19,20. & 18.4,5. 1 *Cor.* 8. 5,6. *Philem.* vers.8,9.

2°. *Antitheticæ.*

Mat. 5.21, 22. & ver. 27, 28. & ver. 31, 32. & ver. 33,34,35,36,37. & ver.38,39, 40,41,42. & ver. 43, 44,45. & cap.6.19,20. & ver. 31, 32, 33. & cap.7. 24, 25,26,27. & cap.15.4,5,6. *Luc.*12. 4, 5. & ver. 8, 9. & ver.47, 48. & cap.14.8,9,10. & ver. 12, 13, 14. & cap. 20. 34, 35, 36. *Joh.*2.10. & 4.13,14. & 9.20, 21. & 10.1,2,3. & ver.10. & cap.20.30, 31. *Act.* 13. 36,37. *Rom.*14.17. 1 *Cor.*1.26,27,28,29. *Heb.*7.23, 24. & 12.10. & ver.11. & ver.18,19,20,21,22,23,24.


Lon-

Longissimæ autem Propositiones Decompositæ, eæque admodum frequentes, sunt Antitheticæ ex binis connexis vel prolepticis.

Exempli gratiâ.

Boëtius de *Consol.* lib. 1. Metr. 4.

Nec speres aliquid, nec extimescas:
Exarmaveris impotentis iram.
At quisquis trepidus pavet, vel optat;
Quòd non sit stabilis suique juris;
Abjecit clypeum, locoque motus
Nectit, quâ valeat trahi, catenam.



Cic. in *Ver.* 67. De quo si vos severè religiosèque judicaveritis: Autoritas ea, quæ in vobis remanere debet, hærebit. Sin istius ingentes divitiæ Judiciorum Religionem veritatemque perfregerint: Ego tamen hoc assequar; ut Judicium potiùs Reipublicæ, quàm aut reus judicibus, aut accusator reo defuisse videatur.

Idem longiore Periodo, *Epist.* fol. 12. Ego si ab improbis & perditis Civibus Remp. teneri viderem (sicut & meis temporibus scimus, & nonullis aliis accidisse accepimus:) non modò non præmiis (quæ apud me minimum valent) sed ne periculis quidem compulsus ullis (quibus tamen moventur etiam fortissimi viri) ad eorum causam me adjungerem; ne si summa quidem eorum in me merita constarent. Cùm autem in Repub. *Cn. Pompeius* Princeps esset, vir is, qui hanc potentiam & gloriam maximis in Remp. meritis, præstantissimisque rebus gestis esset consecutus, cujusque ego dignitatis ab adolescentia fautor, in præturâ autem & consulatu adjutor etiam extitissem; cumque idem Autoritate & Sententiâ per se, consiliis & studiis tecum me adjuvisset, meumque inimicum unum in Civitate haberet inimicum: Non putavi famam inconstantiæ mihi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paulum me immutassem, meamque voluntatem ad summi viri, de meque optimè meriti, dignitatem aggregassem.

Idem de *Provinc. Consular.* Similem habet Periodum sive Propositionem Decompositam de *Cæsare* fol. 76. a. b. quæ sic incipit, Etenim si fortunæ muneribus amplissimis ornatus, &c. Et sic desinit, nec totam *Gallici* belli rationem prope jam explicatam perturbare atque impedire debemus.

Fabius

Fabius apud *Livium* lib. 24. cap. 8. Si aut pacem in *Italiâ*, aut bellum cum eo hoste haberemus, in quo negligentiæ aut errori locus esset: qui vestris studiis, quæ in Campum, ad mandandos quibus velitis honores, affertis, moram ullam afferret; is mihi parùm meminisse videretur vestræ libertatis. Sed cùm in hoc bello, in hoc hoste, nunquam ab ullo duce sine ingenti nostrâ clade erratum sit: eâdem vos curâ, quâ in aciem armati descenditis, inire suffragium ad creandos Consules decet, & sibi quisque dicere, *Annibali* Imperatori parem Consulem nomino.

*Rom.*7.3. (Antithetica)
- (Conditional.)
  - Si (Relat. temp.)
    - vivente adhuc viro,
    - fuerit cum alio viro,
  - vocabitur adultera.
- Sed (Conditional.)
  - si Vir ejus mortuus fuerit:
  - (Relat.)
    - liberata est à lege viri,
    - ita ut (Prolept.)
      - si fuerit cum alio viro,
      - non sit adultera.

*Gen.*34. 15,16,17. *Exod.*22.2,3. *Num.*14. 22,23, 24. & 16.29,30. & 30.3,4,5. & ver.6.7,8. & 32. 20, 21,22,23. *Judic.* 9. 19,20. 1 *Sam.* 12. 14, 15. *Job.* 36.11,12. *Jer.*17.24,25,26,27. & 18.7, 8, 9, 10. & 38.17,18. *Ezec.*33.2,3,4,5,6. & ver.8, 9. *Mat.* 6. 2, 3,4. & ver.5,6. & ver.16,17,18. & cap.7.24,25,26,27. & cap.24.45,&c. *Luc.*10.8,9, 10,11. & 11. 21, 22. & 12.42,43,44,45,46. & ver.47,48. & cap.14.12,13, 14.

Joh.

*Joh.*10.37,38. & 15.19. & 21.18. *Act.*18. 14, 15. & 25.11. 1 *Cor.*14.23,24,25. 1 *Joh.*1.6,7. & ver.8, 9. & cap.2.10,11.

Totum illud longum Caput *Deut.* 28. est una hujusmodi Propositio: Cujus Antecedens est ver. 1. ad finem ver.14. Consequens inde ad finem Capitis.

Sic *Levit.* 26. Antecedens ver. 3. ad finem ver. 13. Consequens inde ad finem ver. 20.

Sic duo Capita libri *Job*, viz. 29, & 30.

Vide suprà Cap. 10. §. *Atque hoc frequenter.*

Exempla Decompositarum, in quibus singulis sunt omnes species Hypotheticarum.

Exod. 21. 18, 19. & ver. 20. 21. & ver. 28, 29. & cap.22.7,8. & ver.14,15. *Levit.*22.19, 20. *Num.*16. 29,30. *Deut.*13.6,7,8,9, 10, 11. & 15. 12, 13, 14 & 22.6,7. *Mat.*5.33,34,35,36, 37. & 6. 31, 32, 33. & 13.20,21. & 15.4, 5, 6. & 18.7,8. & ver. 15, 16, 17. *Luc.*12.29,30,31. & 14. 12, 13, 14. *Joh.* 3. 8. *Act.* 18.14,15. Suprà §.*Rom.*7.3. 1 *Cor.*13.1. & 14.23,24. & ver.27,28. *Jac.*2.15,16. 1 *Pet.*3.3,4, 5, 6. & ver. 8,9.

Versiculi.

a *Simplicibus constat verbis sententia simplex.*
Atque ex simplicibus junctis sententia constat
Composita, & paucis plerunque est edita verbis.
Sed Decompositæ non semper sufficit unus
Spiritus, aut totam comprendit pagina tota.
b *Hujus at integras princeps Conjunctio partes,*
Dein reliquæ reliquas omnes justo ordine jungunt.
Inque Categoricas pars tandem desinit omnis.

C A P. XIX.

De Complicatione partium in Propositionibus Decompositis.

a DEcompositæ Propositionis compendium quoddam est Complicatio Partium : cùm scilicet plures partes pluribus conjunguntur , sive in eodem genere, sive in diversis.

b Hic autem numerus Partium, si explicentur,is erit, qui producetur ex omnibus partibus in se continuè ductis sive multiplicatis.

Exempli gratiâ.

I. *Copulatæ inter se.*

Cic. de Leg.187.a. Donum ne capiunto,neve danto, neque petendâ, neque gerendâ, neque gestâ potestate. Ex sex partibus, viz.3. per 2. multiplicatis

Et somnus, & vinum, & epulæ, & scorta, & balneæ , corpora atque animos enervant. Ex decem partibus viz. 5. per 2.

Cic. Epist. fol. 217. a. In omni genere & honorum & laborum meorum, & animus, & opera, & autoritas, & gratia, etiam res familiaris C. *Capitonis*, præsto fuit & paruit temporibus & fortunæ meæ. Ex partibus 40. viz. 2. 5. 2. 2. in se continuè multiplicatis.

Idem in *Catilin.* 111. Rempub. *Quirites*, vitamque omnium veſtrûm, bona, fortunas, conjuges, liberoſque veſtros atque hoc domicilium clariſſimi Imperii, fortunatiſſimam pulcherrimamque urbem hodierno die Deorum immortalium ſummo erga nos amore, laboribus, conſiliis, periculis meis, ex flammâ atque ferro, ac penè ex faucibus fati, ereptam & vobis conſervatam, ac reſtitutam videtis. Ex 252 partibus, viz. 7. 4. 3. 3. in ſe continuè multiplicatis.

Iſa. 20. 4. Ex 12 partibus, viz. 2. 2. 3.

2 *Cor.* 1. 1, 2. Ex 16 partibus, viz. 2. 4. 2. 2.

Philem. ver. 1, 2, 3. Ex 32 partibus, viz. 2. 4. 2. 2.

Joh. 15. 24. Ex 4 partibus, viz. 2. 2.

Dan. 5. 23. *Luc.* 24. 19. *Act.* 14. 5. & 27. 10. 1 *Cor.* 12. 13. 2 *Theſ.* 2. 2. & 3. 8. Jac. 3. 7. Sirac. 3. 8.

II. *Disjunctæ inter ſe.*

Cic. de *Provinc. Conſular.* 76. a. Una aut altera æſtas, vel metu, vel ſpe, vel pœnâ, vel præmiis, vel armis, vel legibus, poteſt totam *Galliam* ſempiternis vinculis aſtringere. Ex 12 partibus, viz. 6. per 2 multiplicatis.

Levit. 18. 9. Ex 4 partibus, viz. 2. 2.

III. *Disjunctæ cum Copulatis.*

Cic. offic. 164. a. Nec ut emat meliùs, nec ut vendat, quicquam aut ſimulabit aut diſſimulabit vir bonus. Ex 4 partibus, viz. 2. 2.

Levit. 17. 15. Ex 16 partibus, viz. 2. 2. 4.

Mat. 19. 29. Ex 16 partibus, viz. 2. 8.

4. Diſ-

IV. *Disjunctæ cum Discretis.*

Levit. 22. 23. Ex 8 partibus. viz. 2. 2. 2.

V. *Copulatæ cum Discretis.*

Cic. in *Ver.* 66. b. Non humano consilio, sed prope divinitus vobis datum atque oblatum. Ex 4 partibus, viz. 2. 2.

Jer. 35. 8, 9, 10. Ex 24 partibus, viz. 4.6. 1 *Joh.* 2. 16.

Versiculi.

a *Ad Decompositam abbreviandam complico partes;*
Sive illæ ejusdem generis sint, seu variorum.
b *Continuè in se multiplicando, has explico partes.*

CAP. XX.

De Argumentatione, sive Syllogismo in genere.

DE primo Genere Dispositionis (id est, de Propositione) dictum est. Secundum est *Argumentatio.*

Argumentationis unica perfecta est forma, nempe *Syllogismus.* Ad hunc enim reliquæ omnes, quæ dicuntur, formæ reducendæ sunt, ut videbitur Cap. 36. & sequentibus.

a *Syllogismus* est Oratio, in quâ Quæstio cum Argumento ita disponitur, ut duabus Præmissis concessis necessariò per concessas inferatur Conclusio.

b Concessis igitur Præmissis Conclusio negari non potest aut debet.

Exempli gratiâ.

Omnis virtus consistit in mediocritate.
Justitia est virtus. Ergo,
Justitia consistit in mediocritate.

Materia Syllogismi sunt Quæstio, & Argumentum.

Quæstio est Propositio in dubium vocata, ad quam responderi potest per *Etiam* vel *Non*; ut, An justitia consistat in mediocritate.

Argumen-

Argumentum est medium, per quod Quæstio concluditur; ut, *Virtus*.

Forma Syllogismi est legitima dispositio Quæstionis cum Argumento. Id est, talis quæ congruat cum Regulis infrà traditis. Aliàs non est Syllogismus sed Paralogismus; Adeoque concedi possunt Præmissæ, & tamen Conclusio negari. Vide Cap.44. §. Si Opponens concludat.

In omni Syllogismo tres sunt Propositiones, tanquam partes ejus integrantes: viz. duæ Præmissæ & Conclusio.

Præmissæ sunt *Major* & *Minor*.

Major est prior Præmissarum, in quâ vel Tota Quæstio, vel saltem Prædicatum ejus, disponitur cum Argumento, ut, Omnis virtus consistit in medocritate. Aliàs specialiter dicitur *Propositio*.

Minor est altera Præmissarum, quæ vel ad Majorem vel ex Majore assumitur; ut, Justitia est Virtus. Aliàs dicitur *Assumptio*.

Conclusio est ipsa Quæstio ex Præmissis illata; ut, Justitia consistit in Mediocritate. Aliàs dicitur *Complexio*, vel *Intentio*.

c Harum Propositionum naturalis ordo est, ut suprà, Major, & Minor, Ergo Conclusio.

Crypses.

1. Hic Naturalis ordo turbatur quinque modis.
   1. Minor, & Major, Ergo Conclusio.
   2. Major, Ergo Conclusio, Quia Minor.
   3. Minor, Ergo Conclusio, Quia Major.
   4. Conclusio, Quia Major & Minor.
   5. Conclusio, Quia Minor & Major.

   Applica ad Exemplum datum.

d 2. Aliquando proponuntur Præmissæ tantùm cum notâ Illativâ [*Ergo*] & reticetur Conclusio, tanquam sponte sequens ex præmissis, & cuivis obvia; ut, Omnis virtus consistit in Mediocritate. Justitia est Virtus. Ergo.

De aliis Crypsibus, vide Cap. 36. & sequentia.

Versiculi.

a *Ex falsis falsum, verúmque aliquando sequetur:*
Ex veris possunt non nisi vera sequi.
b *Præmissæ possunt, si falsæ, jure negari:*
Rectè conclusum nemò negare potest.
c *Uno disponuntur partes ordine recto:*
Turbato verò hoc ordine quinque modis.
d *Præmissis positis, Conclusio si reticetur:*
Ipsa sequi tamen est cognita sponte suâ.

CAP.

C A P. XXI.

De Syllogiſmo Categorico communi in Genere.

SYllogiſmus eſt vel Simplex ſive Categoricus, vèl Compoſitus ſive Hypotheticus.

a Simplex, ſive Categoricus eſt, cujus omnes Propoſitiones ſunt Categoricæ, earumque adeò partes termini ſimplices.

Horum duo (id eſt, partes Quæſtionis) appellantur Extrema; Tertius, Medium ſive Argumentum.

Quomodo Propoſitiones Hypotheticæ hìc ſupplere poſſint vices Categoricarum, vide Cap. 35. § *Mutari etiam poſſunt.*

Syllogiſmus Categoricus & plenior, & brevior, & evidentior, & artificioſior, & omni modo perfectior eſt quovis Syllogiſmo Hypothetico. Itaque & accuratiùs diſcendus & frequentiùs uſurpandus eſt.

b In hoc Partes quæſtionis (ſive Extrema) ſeorſum in præmiſſis Medio, tanquam menſuræ ſuæ, applicantur: Et ex Medii vel conſenſione cum utroque Extremo, vel diſſenſione ab eorum altero (ab utroque enim diſſentire non debet) colligitur Extremorum conſenſio vel diſſenſio inter ſe.

Medium igitur bis in Præmiſſis capitur, nunquam in Concluſione: Extremorum utrumque ſemel in Præmiſſis, ſemel in Concluſione.

Categoricus Syllogismus est vel Communis vel Singularis.

Communis est, cujus altera saltem Præmissa est Communis, (& quidem Universalis :) Conclusio & altera Præmissa vel Communis, vel ejus loco Singularis.

De hoc præcipuè tractant Dialectici; Et nos etiam in hoc & septem Capitibus sequentibus tractabimus. De Singulari seorsum agemus Capite 29. habitâ tamen relatione ad Regulas Syllogismorum Communium, quantum opus est.

Syllogismus Communis est, Universalis affirmatus, Universalis negatus, Particularis affirmatus, vel Particularis negatus.

Affirmatus est, cujus omnes Propositiones sunt affirmatæ.

Negatus est, cujus Conclusio est negata, Præmissarum altera affirmata, altera negata.

Universalis est, cujus omnes Propositiones simul Universales.

Particularis est, cujus Conclusio est Particularis (vel ejus loco singularis) præmissarum altera saltem Universalis.

Ex dictis colliguntur quinque Regulæ generales horum Syllogismorum.

c 1. Sint tantùm tres termini: viz. duo Extrema, & Medium.

d 2. Prædicatum quæstionis sit Majus extremum, id est, jungatur cum Medio in Majore: Subjectum quæstionis sit minus Extremum; id est, jungatur cum Medio in Minore.

e 3. Ex puris Negatis nihil concluditur.

f 4. Ex puris Particularibus nihil concluditur.

g 5. Conclusio sequitur deteriorem partem, id est, in qualitate Negatam, in quantitate Particularem vel Singularem.

Disponitur

Diſponitur hic Syllogiſmus in Figurâ & Modo.

Figura eſt certa debitaque diſpoſitio Medii cum Extremis in utrâque præmiſſa.

Modus eſt debita ratio quantitatis & qualitatis Singularum Propoſitionum.

b Figuræ tres ſunt, pro triplici diſpoſitione Medii.

Prima eſt, in quâ Medium eſt Subjectum in Majore, Prædicatum in Minore.

Secunda eſt in quâ Medium eſt Prædicatum in utrâque Præmiſſa.

Tertia eſt, in quâ Medium eſt Subjectum in utrâque Præmiſſâ.

i *Modi quatuordecim ſunt*,

Primæ Figuræ quatuor; *Barbara*, *Celarent*, *Darii*; *Ferio.*

Secundæ item quatuor: *Ceſare*, *Cameſtres*, *Feſtino*; *Baroco.*

Tertiæ ſex: *Darapti*, *Felapton*, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon.*

K Horum Modorum ipſa nomina per vocales ſuas *A. E. I. O.* oſtendunt Quantitatem & Qualitatem cujuſque Propoſitionis, ut ſuprà Capite 3.

Verſiculi.

Versiculi.

a *Simplex est, in quo pars omnis sit quoque Simplex;*
Et Minor ad, non ex Majore assumitur ipsâ.
b *Extremum Medio in præmissâ jungito utrâque:*
Extremum Extremo Conclusio postmodo jungat.
c *Sint tantum tria verba, Extrema duo, Mediumque*
d *Quod sequitur, Majus; quod præcedit, Minus esto.*
e *Nil possunt ambæ præmissæ inferre negatæ.*
f *Nil possunt ambæ concludere particulares.*
g *Parti se adjungat Conclusio deteriori.*
h *Sub præ Prima, & Bis præ Secunda, & Tertia Bis sub.*
i *Primæ*, Barbara, Celarent, Darii, Ferioque.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, *Secundæ.*
Tertia Darapti *sibi vendicat*, *atque* Felapton,
Adjungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.
K *Quanta & qualis sit pars quæque, vocabula monstrant,*

CAP.

CAP. XXII.

De Primâ Figurâ.

a REgulæ hujus Speciales; Major sit Universalis; Minor sit Affirmata.

Bar- Omne animal vivit.
ba- Omnis homo est animal. Ergo,
ra. Omnis homo vivit.

Ce- Nullus habitus est à naturâ.
la- Omnis virtus est habitus. Ergo,
rent. Nulla virtus est à naturâ,

Da- Quisquis cupit, eget.
ri- Aliquis locuples cupit. Ergo,
i. Aliquis locuples eget.

Fe- Nullus injustus est liberalis.
ri- Aliquis largus est injustus. Ergo,
o. Aliquis largus non est liberalis.

Versiculus.

a *Sit Major generalis, & Affirmata Minor sit.*

CAP.

CAP. XXIII.

De Secundâ Figurâ.

a REgulæ hujus Speciales; Major sit Universalis; Conclusio & altera præmissarum sint Negatæ.

Ce- Summum bonum non facilè amittitur.
sa- Divitiæ facilè amittuntur. Ergo,
re. Divitiæ non sunt summum bonum.

Ca- Omnis amicus est fidelis.
mes- Nullus adulator est fidelis. Ergo,
tres. Nullus adulator est amicus.

Fes- Nullus prudens est improbus.
ti- Aliquis doctus est improbus. Ergo,
no. Aliquis doctus non est prudens.

Ba- Omne animal est sensu præditum.
ro- Aliquod animatum non est sensu præditum. Ergo,
co. Aliquod animatum non est animal.

Versiculus.

a *Sit Major generalis, Quæstio sitque negata.*

CAP.

CAP. XXIV.

De Tertiâ Figurâ.

a REgulæ hujus Speciales; Minor ſit affirmata; Concluſio ſit Particularis.

Da- Omnis Spiritus eſt inviſibilis.
rap- Omnis Spiritus eſt ſubſtantia. Ergo,
ti. Aliqua ſubſtantia eſt inviſibilis.

Fe- Nullum brutum eſt rationale.
lap- Omne brutum eſt animal. Ergo,
ton. Aliquod animal non eſt rationale.

Di- Aliquod bellum eſt neceſſarium.
ſa- Omne bellum eſt calamitoſum. Ergo,
mis. Aliquod calamitoſum eſt neceſſarium.

Da- Omnis pius eſt felix.
ti- Aliquis pius eſt afflictus. Ergo,
ſi. Aliquis afflictus eſt felix.

Bo- Aliqua caſtigatio non eſt inutilis.
car- Omnis caſtigatio eſt injucunda. Ergo,
do. Aliquod injucundum non eſt inutile.

Fe- Nullus ignavus eſt fortis.
ri- Aliquis ignavus eſt robuſtus. Ergo,
ſon. Aliquis robuſtus non eſt fortis.

Verſiculus.

a *Sit Minor affirmata, & Quæſtio Particularis.*

CAP.

CAP. XXV.

De Conformatione Quæstionum ad Figuras & Modos.

DUo hic docentur; 1. Quas Quæstiones singulæ Figuræ recipiant, & quibus Modis. 2. Quibus Figuris & Modis singulæ Quæstiones concludi possint. Utrumque colligitur ex Regulis supra datis, Cap. 21, 22, 23, 24.

a I. *Quas Quæstiones singulæ Figuræ recipiant, & Quibus Modis.*

Prima Figura omnes Quæstiones recipit: Nempe Universalem affirmatam in *Barbara*; Universalem negatam in *Celarent*: Particularem affirmatam in *Darii*; Particularem negatam in *Ferio*.

Secunda omnes & solas Negatas: viz. Universalem negatam in *Cesare*, & *Camestres*; Particularem negatam in *Festino* & *Baroco*.

Tertia omnes & solas Particulares: viz. Particularem affirmatam in *Darapti*, *Disamis*, *Datisi*; Particularem negatam in *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison*.

b II. Qui-

b II. *Quibus Figuris & Modis singulæ Quæstiones concludi possint.*

Universalis affirmata concludi potest solummodo in Primâ Figurâ, adeoque in *Barbara.* Secunda enim non admittit Affirmatam, nec Tertia Universalem.

Universalis negata in Primâ & Secundâ Figurâ: Modis *Celarent*, *Cesare*, *Camestres.* In Tertiâ enim Conclusio semper est Particularis.

Particularis affirmata in Primâ & Tertiâ Figurâ: Modis *Darii*, *Darapti*, *Disamis*, *Datisi.* In Secundâ enim Conclusio semper est Negata.

Particularis negata in qualibet Figurâ: Modis *Ferio*, *Festino*, *Baroco*, *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison.* Nullius enim Figuræ Regulis excluditur.

Versiculi.

a *Omnes Prima, Secunda sed* E.O. *Tertiaque* I.O.
b A. *Primâ concluditur,* E. *Primâ atque Secundâ,*
I. *Primâ & Postremâ,* O. *qualibet una Figurâ.*

CAP.

CAP. XXVI.

De formatione sive completione Syllogismi Categorici ex datâ Materiâ.

HIc duo docentur. 1. Ex datis Quæstione & Medio formare Præmissas. 2. Ex datis Præmissis colligere Conclusionem.

Utrumque horum ex imperfecto Syllogismo reddit perfectum.

I. *Ex datis Quæstione & Medio formare præmissas.*

a Imprimis consideretur in quâ Figura & Modo, vel in quibus Figuris & Modis Quæstio concludi possit, ut docetur Cap. 25. §. *Quibus Figuris.*

Hoc præcognito,

b 1. Prædicatum Quæstionis jungatur cum Medio in Majore, Subjectum in Minore.

c 2. Medium rectè disponatur: prout ratio Figuræ postulat.

d 3. Observetur quantitas & qualitas utriusque præmissæ, prout ratio Modi postulat.

Hoc ultimum ut faciliùs fiat, notandum:

1. *De Qualitate utriusque Præmissæ.*

Quæstione existente affirmatâ, utraque Præmissa debet esse affirmata; ut in *Barbara, Darii, Darapti, Disamis, Datisi.*

Quæstione existente negatâ, si Medium dissentit à Prædicato ejus, & consentit cum subjecto: Major negetur, Minor affirmetur; ut in *Celarent, Ferio, Cesiare, Festino, Felapton, Bocardo, Ferison.* Si consentit cum Prædicato Quæstionis, & dissentit à Subjecto: Major affirmetur, Minor negetur; ut in solâ Secundâ Figurâ, Modis *Camestres* & *Baroco.*

2. *De Quantitate utriusque Præmissæ.*

In Primâ & Secundâ Figura Major semper sit Universalis, Minor ejusdem quantitatis cum Conclusione. In Tertiâ utraque præmissa (si fieri potest) sit Universalis, ut in *Darapti* & *Felapton.* Sin minùs, altera saltem sit universalis; vel Major, ut in *Datisi* & *Ferison*, vel Minor, ut in *Disamis* & *Bocardo.*

II. *Ex datis Præmissis colligere Conclusionem.*

e 1. Minus Extremum fiat Subjectum Conclusionis, Majus Extremum Prædicatum.

f 2. Conclusio sequatur utramq; Præmissam, aut earum deteriorem; id est, in qualitate, Negatam; in quantitate, particularem.

g Excipe quòd in Tertiâ Figurâ, etiam si utraque Præmissa sit universalis (ut in *Darapti* & *Felapton*) tamen Conclusio sit particularis.

CAP. XXVI.

De formatione sive completione Syllogismi Categorici ex datâ Materiâ.

HIc duo docentur. 1. Ex datis Quæstione & Medio formare Præmissas. 2. Ex datis Præmissis colligere Conclusionem.

Utrumque horum ex imperfecto Syllogismo reddit perfectum.

I. *Ex datis Quæstione & Medio formare præmissas.*

a Imprimis consideretur in quâ Figura & Modo, vel in quibus Figuris & Modis Quæstio concludi possit, ut docetur Cap. 25. §. *Quibus Figuris.*

Hoc præcognito,

b 1. Prædicatum Quæstionis jungatur cum Medio in Majore, Subjectum in Minore.

c 2. Medium rectè disponatur: prout ratio Figuræ postulat.

d 3. Observetur quantitas & qualitas utriusque præmissæ, prout ratio Modi postulat.

Hoc ultimum ut faciliùs fiat, notandum:

1. *De*

1. *De Qualitate utriusque Præmissæ.*

Quæstione existente affirmatâ, utraque Præmissa debet esse affirmata; ut in *Barbara, Darii, Darapti, Disamis, Datisi.*

Quæstione existente negatâ, si Medium dissentit à Prædicato ejus, & consentit cum subjecto: Major negetur, Minor affirmetur; ut in *Celarent, Ferio, Cesiare, Festino; Felapton, Bocardo, Ferison.* Si consentit cum Prædicato Quæstionis, & dissentit à Subjecto: Major affirmetur, Minor negetur; ut in solâ Secundâ Figurâ, Modis *Camestres* & *Baroco.*

2. *De Quantitate utriusque Præmissæ.*

In Primâ & Secundâ Figura Major semper sit Universalis, Minor ejusdem quantitatis cum Conclusione. In Tertiâ utraque præmissa (si fieri potest) sit Universalis, ut in *Darapti* & *Felapton.* Sin minùs, altera saltem sit universalis; vel Major, ut in *Datisi* & *Ferison*, vel Minor, ut in *Disamis* & *Bocardo.*

II. *Ex datis Præmissis colligere Conclusionem.*

e 1. Minus Extremum fiat Subjectum Conclusionis, Majus Extremum Prædicatum.

f 2. Conclusio sequatur utramq; Præmissam, aut earum deteriorem; id est, in qualitate, Negatam; in quantitate, particularem.

g Excipe quòd in Tertiâ Figurâ, etiam si utraque Præmissa sit universalis (ut in *Darapti* & *Felapton*) tamen Conclusio sit particularis.

Hæc omnia pendent ex Regulis suprà datis Cap. 21. 22. 23. 24. Quæ si observentur & in promptu habeantur, formatio Syllogismi citiùs fit quàm dicitur.

Sumantur Exempla ex singulis Figuris & Modis.

Versiculi.

a *Nosce Figuram, nosce Modum, quæ Quæstio poscat.*

b *Jungatur Medio extremum majusque minusque.*

c *Sit Medium vel Sub, vel Præ, ratione Figuræ.*

d *Utraque præmissa esto qualis quantaque debet.*

e *Præcedat Minus Extremum, Majusque sequatur.*

f *Parti se adjungat Conclusio deteriori.*

g *In postremâ autem sit semper Particularis.*

CAP.

C A P. XXVII.

De Reductione Syllogiſmorum Categoricorum ad ſe invicem. Et primò, De Directâ ſive Oſtenſivâ.

REductio Syllogiſmorum Categoricorum ad ſe invicem, eſt traductio eorum ab unâ Figurâ ad aliam.

a Vulgo docetur Reductio ſolummodo Modorum Secundæ & Tertiæ Figuræ ad modos Primæ. Sed idem eſt uſus & eadem via reducendi etiam Modos Primæ Figuræ ad Modos Secundæ & Tertiæ, & Modos Secundæ & Tertiæ ad ſe invicem. Sæpe enim eadem Quæſtio eodem Argumento commodiùs concluditur in Secundâ aut Tertiâ quàm in Primâ.

b In omni Reductione duo conſideranda ſunt: Quò, & Quomodo facienda ſit. Et hæc ſe mutuò inferunt. Si enim Syllogiſmus reducatur Quò oportet, neceſſariò etiam reducetur Quomodo oportet: Et ſi reducatur Quomodo oportet, reducetur etiam quò oportet.

Categoricorum Syllogiſmorum Reductio duplex eſt; 1. Directa ſive Oſtenſiva. 2 Obliqua, ſive, Ad abſurdum vel impoſſibile.

Directa ſive Oſtenſiva Reductio eſt, quâ eadem Concluſio eodem Argumento infertur in diverſis Figuris. De quâ notandum, ut dictum eſt, Quò & Quomodo facienda ſit.

c 1. *Quò.*

Unusquisque Syllogismus reducibilis reducitur ad illos Modos aliarum Figurarum, qui incipiunt ab iisdem literis *C. D. F.* ut, *Celarent, Cesare, Camestres : Darii, Disamis, Datisi : Ferio, Festino, Ferison :* ad se invicem reducuntur.

Darapti etiam ad *Darii, Felapton* ad *Ferio* & *Festino* reducitur, sed non è converso.

d Quæ incipiunt à *B* (*Barbara, Baroco, Bocardo*) non reducuntur Directè sive Ostensivè, sed solummodo Obliquè sive Ad impossibile vel absurdum; Ut cap. 28.

2. *Quomodo.*

Per Conversionem Propositionum (Simplicem vel Attenuatam) & aliquando etiam mutationem præmissarum. Hinc enim mutatur Dispositio Medii adeoque Figura.

e Figura Prima & Secunda ad se invicem reducuntur per Conversionem Majoris : Prima & Tertia per Conversionem Minoris : Secunda & Tertia per Conversionem utriusque præmissæ.

f In *Camèstres* & *Disamis* Conclusio etiam convertitur, & simul Præmissæ inter se mutantur.

g Hæc etiam indicantur per Consonantes medias & finales *S. P. M.* Nempe *S.* significat Simplicem conversionem, *P.* Attenuatam, *M.* Mutationem Præmissarum.

Exempla

Exempla petantur ex singulis Modis reducibilibus.

b Usus hujus Reductionis est, tum ut perfectiùs teneamus, magisque in promptu habeamus omnes Syllogismorum Figuras & Modos, tum etiam, ut cùm plures fuerint Modi in quibus Quæstio nostra concludi possit, eum eligamus, in quo commodissimè concludatur: Aut si nihil intersit, ne hæsitemus, sed eum sumamus, qui primus sese obtulerit.

Versiculi.

a *Non tantùm ad Primam reliquas ego duco Figuras.*
b *Mutua se ostendunt, Quò & Quomodo ducere oportet.*
c *Litera prima Modum ostendit, quo quemque reducas.*
d *Incipientem* à B. *directè nemo reducit.*
e *Majores Prima atque Secunda Figura: Minores*
Prima & Tertia: utrasque Secunda & Tertia vertunt.
f Cam. Dis. *Præmissas mutant, Conclusaque vertunt.*
g S. *vult simpliciter verti,* P*que Attenuatè.*
M *quoque Præmissas inter se denique mutat,*
h *Hinc promptè teneo, prompteque hinc omnibus utor.*

CAP. XXVIII.

De Reductione Obliquâ, sive Ad Absurdum vel Impossibile.

a REductio Obliqua (sive, Ad Absurdum vel Impossibile) est, cùm ex Contradictoriâ veræ Conclusionis & alterutrâ ex veris præmissis colligitur alterius veræ præmissæ Contradictoria (aut in *Darapti* & *Felapton* contraria:) Quæ erit absurda.

Docendi causâ Syllogismus hoc modo reducendus dicatur Directus, Reductus dicatur Obliquus.

b Conclusionis Syllogismi Directi Prædicatum indicat Majorem, Subjectum Minorem Syllogismi Obliqui.

Exempli gratiâ.

Bar- Omne animal sentit.
ba- Omnis homo est animal. Ergo,
ra. Omnis homo sentit.

Reducitur ad Absurdum, vel in Secundâ Figurâ sic.

Ba- Omne animal sentit.
ro- Aliquis homo (inquis tu) non sentit. Ergo,
co. Aliquis homo non est animal. Quod absurdum est.

Vel

Vel in Tertiâ Figurâ sic.

Bo- Aliquis homo (inquis tu) non sentit.
car- Omnis homo est animal. Ergo,
do. Aliquod animal non sentit. Quod absurdum.

Atque hæc sufficere possunt ad Reductionem Obliquam cujusvis Syllogismi Categorici cujuscunque Figuræ aut Modi.

c Quod si pleniùs & distinctiùs scire volumus, Quò & Quomodo singuli Syllogismi Categorici obliquè reducendi sint; sic habeamus.

1. *Quó.*

Singulæ Figuræ ad reliquas binas reduci possunt: Modi verò hi ad se invicem.

Barbara, Baroco, Bocardo. ***Celarent, Festino, Disamis.***

Darii, Camestres, Ferison. ***Ferio, Cesare, Datisi.***

Darapti etiam reducitur ad ***Celarent*** & ***Cesare***, ***Felapton*** ad ***Barbara*** & ***Camestres:*** Sed non è converso.

d Itaque nullus Syllogismus ad eundem Modum reducitur Obliquè, ad quem reducitur Directè.

2. *Quomodo.*

e Si Figura Prima & Secunda ad se invicem reducendæ sint: servetur Major, & varietur Minor; id est, ponatur Contradictoria Conclusionis pro Minore, & Contradictoria Minoris pro Conclusione Syllogismi Obliqui.

Si Prima & Tertia ad se invicem reducendæ sint: Servetur Minor, & varietur Major; id est, ponatur Contradictoria Conclusionis pro Majore, & Contradictoria Majoris pro Conclusione Syllogismi Obliqui.

f Si Secunda & Tertia ad se invicem reducendæ sint: Neutra Præmissa locum suum servet, Neutra cum Conclusione varietur. Sed in Reductione Secundæ ad Tertiam ponatur Minor pro Majore, Contradictoria Conclusionis pro Minore, & Contradictoria Majoris pro Conclusione. Contrà, In Reductione Tertiæ ad Secundam, ponatur Contradictoria Conclusionis pro Majore, Major pro Minore, & Contradictoria Minoris pro Conclusione.

g Usus hujus Reductionis Obliquæ.

Quælibet Quæstio eodem Argumento quo concluditur directè, dupliciter etiam concludi potest obliqué: inferendo scilicet ex ejusdem Conclusionis Contradictoriâ aliquid Falsi, Absurdi, Impossibilis, nempe Contradictoriam (aut in *Darapti*, & *Felapton* Contrariam) alterius ex veris præmissis Syllogismi Directi.

Hinc

Hinc sequetur Sententiam adversarii (id est, Contradictoriam Conclusionis nostræ) esse Falsam, Absurdam, Impossibilem; quia talis est ea, quæ ex illâ sequitur. Ex verâ enim falsa sequi non potest, Cap. 20. §. *Syllogismus*; & §. *Concessis*.

Atque hinc itidem sequetur, Nostram sententiam esse veram: quia Contradictoriæ non possunt esse simul falsæ. Cap. 2. §. *Contradictionis*; & Cap. 6. §. *Contradictoriæ*.

h Hic Obliquus ductus magis confundit & pudefacit adversarium, quàm *Directus*; utpote cogens eum palinodiam canere.

i Et, quò absurdior erit Conclusio Syllogismi Obliqui, eò melior est Argumentatio.
1 *Cor.* 15. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.

Versiculi.

a *Conclusi Oppositum Præmissa sit una: sit alt'ra*
Servata: Oppositum alterius Conclusio fiat.
b *Præ notat Obliqui Majorem, Subque Minorem.*
Sufficit hoc, ut rite Modum unumquemque reducas.
c *Plenius ut discas tum Quò tum Quomodo fiat:*
Ad reliquas binas traducas quamque Figuram.
Sicque agnosce Modos quos ad quos ducere debes.

Barbara, Baroco, Bocardo *mutua ducas:*
Mutua Celarent, *&* Festino, Disamis*que.*
Mutua sic Darii, Camestres *atque* Ferison.
Mutua sic Ferio *cum* Cesare *cum* Datisi*que.*

Duc

Duc ad Celarent *&* Cesare *rite* Darapti *:*
Sed Neutrum illorum ad Darapti *rite reducas.*
Duc ad Camestres *&* Barbara *rite* Felapton*:*
Sed Neutrum illorum ad Felapton *rite reducas.*
d *Hinc Modum eundem utrâque viâ ne duc ad eundem.*
Obtineat *trahit ad primos Obliqua Secundos,*
At duo verba trahunt ternos Certare Tonanti.
e *Primam cum reliquis si ducas, Regula ita esto :*
Servet Majorem, varietque Secunda Minorem ;
Tertia Majorem variet, servetque Minorem.
f *Sin reliquas inter se ducas, Regula ita esto :*

Neutra locum servato suum præmissa reducta,
Cum neutrâ variet Conclusio ; Sed vice versâ,
Pro Majore Secunda Minorem, proque Minore
Tertia Majorem, Reliquum Conclusio mutet.

g *Oppositum absurdum probat esse absurda sequela.*
Oppositum falsum, Oppositum verum probat esse.
h *Coguntur qui vera negant, absurda fateri :*
Ut saltem hoc pudeat, si forsan non pudet illud.
i *Quò magis absurda est, magis est Conclusio cogens.*

CAP.

CAP. XXIX.

De Syllogiſmo Singulari.

a SYllogiſmus Singularis eſt, cujus ambæ Præmiſſæ ſunt Singulares, Concluſio vel Particularis vel Singularis.

b Hic ex Concluſione Particulari peculiaris eſt Tertiæ Figuræ, & Specialiter dicitur Expoſitorius.

Exempli gratiâ.

Affirmatus. *Martialis* eſt laſcivus.
Martialis eſt Poëta. Ergo,
Aliquis Poëta eſt laſcivus.

Negatus. *Virgilius* non eſt laſcivus.
Virgilius eſt Poëta. Ergo,
Aliquis Poëta non eſt laſcivus.

c Ex Concluſione Singulari (adeoque omnibus Propoſitionibus Singularibus) fiunt Syllogiſmi Singulares in omnibus Figuris. *Ex. gr.*

In Primâ Figurâ.

Affirmatus. Pater *Alexandri* erat Rex *Macedonum.*
Philippus erat Pater *Alexandri.* Ergo,
Philippus erat Rex *Macedonum.*

Negatus.

Negatus. *Titius* non eſt *Sempronius.*
Hic eſt *Titius.* Ergo,
Hic non eſt *Sempronius.*

In Secundâ Figurâ.

Negatus. *Cato* Major non occîdit ſeipſum.
Cato Uticenſis occîdit ſeipſum. Ergo,
Cato Uticenſis non erat *Cato* Major.

Negatus. *Titius* eſt vir bonus.
Hic non eſt vir bonus. Ergo,
Hic non eſt *Titius.*

In Tertiâ Figurâ.

Affirmatus. *Venus* eſt *Heſperus.*
Venus eſt *Phoſphorus.* Ergo,
Phoſphorus eſt *Heſperus.*

Negatus. *Romulus* non erat *Numa.*
Romulus erat primus Rex *Romanorum.*
Ergo,
Primus Rex *Romanorum* non erat *Numa.*

In Syllogiſmis Singularibus obſervandæ ſunt omnes Regulæ Syllogiſmorum Communium, tam generales, Cap.21. quàm ſpeciales, Cap.22,23,24. niſi quòd pro Propoſitionibus Univerſalibus aut Particularibus ponantur Singulares.

Hinc,

Hinc, Singulares Syllogismi eodem modo, quo Communes, tum formantur Cap. 26. tum reducuntur Cap. 27, 28.

Versiculi.

a *Sing'lares sunt Præmissæ Majorque Minorque.*

b *Concludunt verò Sing'lare aut Particulare.*

Illud habet quævis: hoc Tertia sola Figura.

C A P. XXX.

De Syllogismo Composito sive Hypothetico in genere.

HActenus de Syllogismo Simplice sive Categorico.

a Syllogismus Compositus sive Hypotheticus est, cujus Major est Propositio Composita sive Hypothetica, Minor & Conclusio ex Majore transumptæ.

Hic igitur propriè dicitur Syllogismus κατὰ Μετάληψιν, per Transumptionem; ut Categoricus κατὰ Πρόσληψιν, per Assumptionem.

b In hoc Major semper constat ex membris binis, aut ad bina reductis: quorum alterum Antecedens est, alterum Consequens.

c Con-

c Consequentia Majoris semper debet esse Affirmata, adeoque æquipollens Categoricæ Universali. Qualis est Consequentia in Connexâ & Disjunctâ affirmatis, & in Copulatâ atque Discretâ negatis; ut supra Cap. 15, 16, 17. Et infrà Cap. 31, 32, 33, 34, 35.

d In his per *Tollere* intelligimus *Contradicere.*

Versiculi.

a *Composita est Major: Minor & Conclusio in illâ.*

b *Major membra aut bina habet, aut ad bina reducta.*

c *Hîc affirmanda est Majoris ubique sequela,*

Seu proprio vinc'lo affirmato, sive negato.

d Tollere *cùm dico volo* Contradicere *in istis.*

CAP.

C A P. XXXI.

De Syllogiſmo Connexo ſive Conditionali, ejuſque duobus Modis.

SYllogiſmus Compoſitus ſive Hypotheticus triplex eſt, viz. *Connexus* ſive *Conditionalis* , *Diſjunctus*, & *Copulatus* ſive *Diſcretus*.

Connexus ſive Conditionalis eſt, qui majorem habens Conditionalem affirmatam, vel ex poſito Antecedente ponit Conſequens, vel ex ſublato Conſequente tollit Antecedens.

a Hujus itaque duo ſunt Modi :

Prior expoſito Antecedente ponit Conſequens ; id eſt, aſſumit Antecedens & concludit Conſequens.

Exempli gratiâ.

Si homo eſt, animal eſt. At homo eſt. Ergo, Animal eſt.

Si homo eſt, brutum non eſt. At homo eſt. Ergo, Brutum non eſt.

Si Dies non eſt, Nox eſt. At Dies non eſt. Ergo, Nox eſt.

Si non vivit, non ſentit. At non vivit. Ergo, Non ſentit.

*Job.*7.22,23.

Secundus Modus ex ſublato Conſequente tollit Antecedens ; id eſt, Aſſumit contradictorium Conſequentis & concludit contradictorium Antecedentis.

Exempli

Exempli gratiâ.

Si omnis blandus est amicus, tum aliquis adulator est amicus. At nullus adulator est amicus. Ergo, Aliquis blandus non est amicus.

Item, Si omne animal est rationale, tum omne animal est homo. At aliquod animal non est homo. Ergo, Aliquod animal non est rationale.

Item, Si nullum animatum est animal, tum Nullum animatum sentit. At aliquod animatum sentit. Ergo, Aliquod animatum est animal.

Item, Si aliquis justus non est prudens, tum Aliquis justus non est vir bonus. At Omnis justus est vir bonus. Ergo Omnis justus est prudens.

*Psal.*66. 18, 19, 20. *Joh.*8. 39, 40. 1 *Cor.* 7. 14. & 15. 13, ad finem ver. 20. *Gal.* 3. 18. 2 *Tim.*2. 23, 24. *Heb.*11. 5, 6.

b Primus Modus respondet primæ Figuræ Categoricorum: Secundus secundæ.

Versiculi.

a *Connexi duplex Modus est: nam & ponit & aufert.*

b *Prima refert Primum, atque Secunda Figura Secundum.*

C A P.

C A P. XXXII.

De Syllogismo Disjuncto ejusque unico Modo.

a SYllogismus Disjunctus est, qui Majorem habens Disjunctam affirmatam, ex alterutrâ parte sublatâ ponit alteram: id est, Assumit Contradictoriam unius partis & concludit alteram.

Exempli gratiâ.

Aut Dies est, aut Nox est. At Dies non est. Ergo, Nox est; vel, At Nox non est. Ergo, Dies est.

Item, Aut Fidelis est, aut Amicus non est (vel, Aut Amicus non est, aut fidelis est) At Amicus est. Ergo, Fidelis est; vel, At fidelis non est. Ergo, Amicus non est.

Item, Aut Amicus non est, Aut adulator non est. At Amicus est. Ergo, Adulator non est; vel, Adulator est. Ergo, Amicus non est.

b Similiter ex pluribus membris ad bina reductis; ut, Aut vincendum est, aut fugiendum, aut moriendum, aut serviendum: At non vincendum. Ergo, Aut fugiendum, aut moriendum, aut serviendum: vel, At non fugiendum, aut moriendum, aut serviendum. Ergo vincendum. Vel sic, Aut vincendum aut fugiendum est—— aut moriendum aut serviendum est. At non vincendum aut fugiendum. Ergo, Aut moriendum aut serviendum est; vel, At non moriendum aut serviendum est. Ergo, Aut vincendum aut fugiendum.

Sic iiſdem membris quocunque alio modo tranſpoſitis aut diviſis, & ad bina reductis.

Cic. pro *Rabirio* 95. b. Atqui videmus hæc in rerum naturâ tria fuiſſe, &c.

2 *Reg.*7.4. *Luc.*16.3, 4.

c Ponitur à *Ramo* & ejus Commentatoribus, item à *Keckermanno*, *Molinæo*, *Burgerſdicio* & aliis, Secundus Modus Syllogiſmi Disjuncti: Qui ſcilicet ex alterâ parte Majoris poſitâ tollat alteram; id eſt, Qui aſſumat unam partem & concludat contradictoriam alterius.

Exempli gratiâ.

Aut Dies eſt, aut Nox eſt. At Dies eſt. Ergo, Nox non eſt; vel, At Nox eſt; Ergo, Dies non eſt.

Sed hic modus nititur iis ſuppoſitis, quæ jam antè refutata ſunt, Cap.11. §. *Ad veritatem*, &c. Et cap.15. §. *Disjuncta.* Et cap.16. §. *Connexa & Disjuncta.* Et cap. 17. per totum. Et ampliùs refutabuntur Cap. 33, 34, 35.

Neque neceſſariò & perpetuò concludit, ſed ſolummodo ubi Membra disjuncta ſunt inter ſe immediatè Oppoſita. Aliter concedi poſſunt Præmiſſæ, & tamen Concluſio negari.

Exempli gratiâ.

In illo *Terentiano Hecyr.* Act.3. Sc.1.

Aut matrem aut uxorem in culpâ inveniam.

Unde non poteſt ſic aſſumi & concludi: At Matrem; Ergo, non Uxorem. Neque ſic, At Uxorem; Ergo, non Matrem. Fortè enim, & quidem

dem probabiliter utramque in culpâ inventurus erat.

Vide *Rob. Sanderson*, Compend. Logic. part. 3. cap. 9.

Et *Augustin. Hunnæum*, Logic. lib. 4. pag. 257. Edit. *Plantin.*

Hic autem Modus reduci potest ad eum qui solus à nobis ponitur; viz. mutando ambas partes Majoris in suas Contradictorias. [Aut Dies non est, aut Nox non est. At Dies est: Ergo, Nox non est. Vel, At Nox est: Ergo, Dies non est.]

Versiculi.

a *Alterutrum tollit Disjunctus, ponat ut alt'rum.*

b *Ex multis pariter membris ad bina reductis.*

c *Hic ejus Modus unicus est: Namque iste Secundus*

Est spurius, nullo cognato teste probatus.

C A P. XXXIII.

De Syllogiſmo Copulato ſive Diſcreto, ejuſque unico Modo.

a SYllogiſmus Copulatus, ſive Diſcretus, eſt, qui Majorem habens Copulatam ſive Diſcretam negatam ex alterutrâ parte poſitâ tollit alteram; id eſt, Aſſumit unam partem, & concludit Contradictoriam alterius.

Exempli gratiâ.

Non & amicus eſt, & adulator eſt. At amicus eſt. Ergo, Adulator non eſt; vel, At adulator eſt. Ergo, Amicus non eſt.

Item, Non & amicus eſt, & fidelis non eſt; (vel, Non & fidelis non eſt, & amicus eſt.) At amicus eſt. Ergo, fidelis eſt; vel, At fidelis non eſt. Ergo, amicus non eſt.

Item, Non & ſanus non eſt, & æger non eſt. At ſanus non eſt. Ergo, æger eſt; vel, At æger non eſt. Ergo, Sanus eſt.

Similiter ex pluribus membris ad duo reductis; ut, Non & Animal eſt, & homo non eſt, & brutum non eſt. At Animal eſt. Ergo, Non & homo non eſt, & brutum non eſt: vel, At homo non eſt, & brutum non eſt. Ergo, Animal non eſt.

Vide

Vide Cap. 35. §. Non & Omne animal vivit, & Omnis homo est animal, & tamen Aliquis homo non vivit. At Omne animal vivit, & Omnis homo est animal. Ergo, Omnis homo vivit.

b Nequaquam autem datur Secundus Modus Syllogismi Copulati, qui scilicet ex alterâ parte sublatâ ponat alteram; id est, qui assumat Contradictoriam unius partis & concludat alteram. Ut, Non potest sic concludi, Non & album & nigrum est. At Album non est. Ergo, Nigrum est: vel, At nigrum non est. Ergo, Album est.

c Neque verò illi ipsi Autores, qui contendunt pro Secundo modo Disjuncti, recipiunt Secundum Modum Copulati: quanquam eadem est utrobique ratio.

d Hinc liquidò apparet, Propositionem Disjunctam affirmatam & Copulatam negatam, (ex iisdem partibus) non æquipollere; cùm non eodem modo ex hac atque ex illâ concludatur. Ex Contradictoriis autem partibus æquipollent (ut ostensum Cap. 16.) adeoque idem concludunt.

Versiculi.

a *Alterutrum ponit* Discretus, *tollat ut alt'rum.*
b *Hic ejus Modus unicus est, atque esse putatur.*
c *Nemo etenim se jactitat invenisse Secundum:*
Cùm tamen hic æquè ac in præcedente liceret.
d *Non ergo æquivalent, ut idem concludere possint,*
Affirmata hæc, illa negata, ex partibus iisdem.
Attamen æquivalent, & idem concludere possunt,
Si fuerint etiam Contradictoria membra.

CAP. XXXIV.

De Reductione Syllogismorum Hypotheticorum ad se invicem.

a QUivis Syllogiſmus Hypotheticus ad quemvis alium reduci poteſt, mutando Majores inter ſe (ut docetur Cap. 16.) Minoribus & Concluſionibus iiſdem remanentibus.

b Quâ ratione omnes ſe invicem agnoſcunt & probant eſſe legitimos, illegitimoſque improbant ac repudiant.

Exempli gratiâ.

Connexus primus; Si homo eſt, animal eſt. At homo eſt. Ergo, Animal eſt.

Connexus ſecundus; Si Animal non eſt, homo non eſt. At homo eſt. Ergo, Animal eſt.

Disjunctus; Aut homo non eſt, aut animal eſt; (vel, Aut animal eſt, aut homo non eſt.) At homo eſt. Ergo, Animal eſt.

Copulatus ſive Diſcretus; Non & homo eſt, & Animal non eſt; (vel, Non & Animal non eſt,& homo eſt.) At homo eſt. Ergo, Animal eſt.

Ex

Ex nulla autem harum Majorum (sunt enim omnes Æquipollentes, Cap. 16.) assumi & concludi potest; At Animal est. Ergo, Homo est; vel (quod idem est) At Homo non est. Ergo, Animal non est.

e Hinc igitur refellitur Secundus Modus tum Disjuncti tum Copulati, æque ac Tertius & Quartus Modus Connexi. Omnium enim una eademque ratio est.

Versiculi.

a *Muta Majores, reliquis remanentibus iisdem.*

b *Compositi sic se agnoscuntque probantque vicissim:*

c *Falsosque omnes aspernantur, rejiciuntque;*

e *Tertium ut, & Quartum Connexi, itidemque Secundos*

Disjuncti & Discreti. Etenim ratio omnibus una.

CAP. XXXV.

De Reductione Syllogismorum Categoricorum ad Hypotheticos, & contrà.

Quanquam Syllogismus Categoricus (ut dictum est Cap. 21) omni ratione perfectior est quovis Syllogismo Hypothetico: tamen quia Syllogismus aliâ atq; aliâ formâ propositus, rem magis illustrat atq; confirmat; & quia ejusmodi variatio celat artem (cujus ostentatio in familiaribus congressibus & popularibus dissertationibus inepta atque ingrata est) et denique quia varietas ipsa per se grata est, utpote tollens satietatem, quæ ex perpetuâ similitudine oritur; ideo non abs re erit ostendere, quo pacto quilibet Syllogismus Categoricus ad quemlibet Hypotheticum reduci possit.

Reducitur autem vel imperfectè, id est, ex alterâ tantùm præmissâ; vel perfectè, id est, ex utraque.

a Utrocunque modo fiat, Syllogismi Categorici præmissa (altera vel utraque) erit Minor Syllogismi Hypothetici, Conclusio eadem.

b Major autem variabitur pro variis Hypothetici Speciebus, ut vidimus in Capite præcedente; viz.

In Connexo primo; Si Categorici Præmissa (altera vel utraque) tum Conclusio.

In Connexo secundo; Si Contradictorium Conclusionis: tum Contradictorium Præmissæ.

In

In disjuncto; Aut Conclusio aut Contradictorium Præmissæ (vel, Aut Contradictorium Præmissæ, aut Conclusio.)

In Copulato sive Discreto; Non & Contradictorium Conclusionis & Præmissa; vel, Non & Præmissa & Contradictorium Conclusionis.

Sit unum Exemplum pro omnibus Figuris & Modis; nempe Syllogismus in *Barbara.* [Omne animal vivit. Omnis homo est animal. Ergo, Omnis homo vivit] Reducitur ad singulos Modos Syllogismorum Hypotheticorum tripliciter: viz. Ex Majore tantùm, ex Minore tantùm, & Ex utrâque simul.

I. *Ex Majore tantùm.*

Ad Connexum primum. Si Omne animal vivit, tum Omnis homo vivit. At Omne animal vivit. Ergo, Omnis homo vivit.

Ad Connexum secundum; Si Aliquis homo non vivit, tum Aliquod animal non vivit. At Omne animal vivit. Ergo, Omnis homo vivit.

Ad Disjunctum; Aut Omnis homo vivit, aut aliquod animal non vivit; (vel, Aut aliquod animal non vivit, aut Omnis homo vivit) At Omne animal vivit, Ergo, Omnis homo vivit.

Ad Copulatum, sive Discretum; Non & Omne animal vivit, & tamen Aliquis homo non vivit. (vel Non & Aliquis homo non vivit, & tamen Omne animal vivit). At Omne animal vivit. Ergo, Omnis homo vivit.

2. Ex

II. *Ex Minore tantùm.*

Ad Connexum primum ; Si Omnis homo eſt animal, tum Omnis homo vivit. At Omnis homo eſt animal. Ergo Omnis homo vivit.

Ad Connexum ſecundum ; Si Aliquis homo non vivit, tum Aliquis homo non eſt animal. At omnis homo eſt animal. Ergo, omnis homo vivit.

Ad Disjunctum ; Aut aliquis homo non eſt animal, aut Omnis homo vivit. (vel, Aut Omnis homo vivit, aut Aliquis homo non eſt animal.) At Omnis homo eſt animal. Ergo, Omnis homo vivit.

Ad Copulatum, ſive Diſcretum ; Non & Omnis homo eſt animal, & tamen aliquis homo non vivit. (vel, Non & Aliquis homo non vivit, & tamen Omnis homo eſt animal.) At Omnis homo eſt animal. Ergo, Omnis Homo vivit.

III. *Ex utrâque Præmiſſâ.*

Ad Connexum primum : Si Omne animal vivit, & Omnis homo eſt animal : tum, Omnis homo vivit. At Omne animal vivit, & Omnis homo eſt animal. Ergo, Omnis homo vivit.

Ad Connexum ſecundum ; Si Aliquis homo non vivit, tum Aut aliquod animal non vivit, aut Aliquis homo non eſt animal. At Omne animal vivit, & Omnis homo eſt animal. Ergo, Omnis homo vivit.

Ad Disjunctum ; Aut Omnis homo vivit, aut Aliquod animal non vivit, aut Aliquis homo non eſt animal. At Omne animal vivit, & Omnis homo eſt animal. Ergo, Omnis homo vivit.

Ad Copulatum ſive Diſcretum; Non & Omne animal vivit, & Omnis homo eſt animal, & tamen Aliquis homo non vivit. At Omne animal vivit; & Omnis homo eſt animal. Ergo, Omnis homo vivit.

Similiter quivis alius Syllogiſmus Categoricus cujuſcunque Figuræ aut Modi duodecim viis reduci poteſt ad Syllogiſmos hypotheticos: id eſt, ad unumquemque ex quatuor Modis Hypotheticorum tripliciter. Exempla petantur ex Cap. 22, 23, 24.

Mutari etiam poſſunt ſingulæ Propoſitiones Syllogiſmi Categorici in ipſarum vicarias Hypotheticas, ut docetur Cap. 17.

Exempli gratiâ.

In dato Syllogiſmo. Si Animal eſt, vivit. Si homo eſt, animal eſt. Ergo, ſi homo eſt, vivit.

Item, Aut Animal non eſt, aut vivit. Aut homo non eſt, aut Animal eſt. Ergo, Aut homo non eſt, aut vivit.

Item, Non & animal eſt, & non vivit. Non & homo eſt, & animal non eſt. Ergo, Non & homo eſt, & non vivit.

Partibus hoc modo mutatis, Toti Syllogiſmi, licèt conſtantes ex ſingulis Propoſitionibus Hypotheticis, habent vim & formam Syllogiſmorum Categoricorum, & tales omnino cenſendi ſunt: Quia procedunt non κατὰ μετάληψιν, tranſumendo Minorem ex Majore, ut in Syllogiſmis Hypotheticis; ſed κατὰ Πρόσληψιν, aſſumendo Minorem ad Majorem, ut in Syllogiſmis Categoricis.

Idem

Idem judicandum est de Syllogismis, quorum Majores sunt Propositiones Relativæ, ad quas subsumuntur sive assumuntur Minores, & inde Conclusiones colliguntur.

Exempli gratiâ.

Quales in Republicâ Principes sunt, tales sunt reliqui Cives. At in hac vel illâ Republicâ Principes sunt boni. Ergo, Reliqui Cives sunt boni; vel, Principes sunt mali. Ergo etiam, reliqui Cives sunt mali.

Item, Qualis Arbor, talis fructus. At Arbor bona est. Ergo, fructus sunt boni; vel, Arbor mala est. Ergo, fructus mali.

Item, Quantum quisque nummorum habet, tantum habet fidei: At hic vel ille homo multum (aut parum) habet nummorum. Ergo multum (vel parum) fidei.

Item, Ubi Thesaurus cujusque est, ibi est cor ejus. At Thesaurus fidelium in cœlo est. Ergo, Corda eorum in cœlo sunt; vel, Thesaurus infidelium in terra est. Ergo etiam, Corda eorum in terrâ sunt.

Item, Quoties dicimus, toties de nobis judicatur. At sæpè (vel raró) dicimus. Ergo, sæpè (vel raró) de nobis judicatur.

Quemadmodum autem Syllogismi Categorici reducuntur ad Hypotheticos, ita etiam Hypothetici ad Categoricos; quando Propositiones Hypotheticæ mutari possunt in Categoricas. Vide Cap. 17.

Versiculi.

a *Simplicis alterutram fac, aut utramque, Minorem*
Compositi, amborumque eadem Conclusio fiat.
b *Major diversa esto ex diversis speciebus.*

CAP. XXXVI.

De Imperfectis formis Argumentationum.

a PRæter Syllogismum adduntur à Dialecticis aliæ etiam formæ Argumentationum. Quarum solenniores, & quæ nomen aliquod obtinuerunt, septem sunt: viz. *Enthymema*, *Syllogismus Rhetoricus*, *Inductio*, *Exemplum*, *Sorites*, *Dilemma*, *Biaion*.

b Hæ autem omnes sunt vel Crypses Syllogismorum, vel specialia capita Argumentorum, non nova genera Argumentationum.

c Singulæ autem specialem & frequentem usum habent: ideoque eas non omittendas esse putavimus.

Versiculi.

Versiculi.

a *Septem alias formas Argumentatio habere*
Dicitur : Enthymema, & Rhetoricum, *atque* Epagogen,
Atque Exemplum, Soriten, Dilemma, Biaion.
b *Quarum quæque aut Crypsis tantùm est, aut Speciale*
Argumentum, haud Argumentandi nova forma.
c *Nec tamen harum cujusquam non est suus usus.*

CAP. XXXVII.

De Enthymemate.

HOc, ex dictis Septem, primo loco ponimus: quia hujus usus est in reliquis omnibus.

a *Enthymema* (ut vox nunc communiter accipitur à Dialecticis) est impefectus Syllogismus, ex alterâ tantùm Præmissâ Quæstionem concludens.

Exempli gratiâ.

Omne animal vivit. Ergo, Omnis homo vivit; vel,
Omnis homo est animal. Ergo, Omnis homo vivit.

Partes ejus duæ sunt: Antecedens sive Præmissa, & Consequens sive Conclusio.

b Cate-

b Categorici Syllogiſmi quæ Præmiſſa adſit, quæ deſit, ex collatione Præmiſſæ cum Concluſione innoteſcit.

Si enim in Præmiſſâ inveniatur Prædicatum Concluſionis, illa Præmiſſa eſt Major & deeſt Minor: Si autem Subjectum, illa Præmiſſa eſt Minor & deeſt Major; ut ſuprà docetur Cap. 21. §. *Prædicatum Quæſtionis*.

c Hypothetici Syllogiſmi plerunque deeſt Major: in quâ eadem conſequentia repetitur, quæ eſt in ipſo *Enthymemate*; ut.

Dies eſt. Ergo, Nox non eſt. Deeſt Major: quæ ita ſupplenda eſt Cap. 35. §. *Utrocunque.*

In Connexo primo, Si Dies eſt, Nox non eſt.
In connexo ſecundo, Si Nox eſt, dies non eſt.
In Disjuncto, Aut Dies non eſt, aut Nox non eſt; vel,
Aut Nox non eſt, aut Dies non eſt.
In Copulato ſive Diſcreto, Non & dies eſt, & Nox eſt; vel,
Non & Nox eſt, & Dies eſt.

d Aliquando Partes invertuntur, & Argumentum ſubjicitur Quæſtioni; Univerſali pro ratione, particulari vel pro ratione vel pro Exemplo.

Exempli gratiâ.

Univerſali:

Omnis homo vivit; quia. Omne anmal vivit: vel, Omnis homo vivit; quia Omnis homo eſt animal.

Parti-

Particulari.

Aliquis locuples eget; quia Omnis, qui cupit, eget: vel,

Aliquis locuples eget; quia Aliquis locuples cupit: vel,

Aliquis locuples eget; ut, qui cupit.

Itaque Syllogismus contractus (ut vocatur) sive ex Tertiâ Figurâ, sive ex Primâ vel Secundâ, & sive Particularis sive Universalis sit, nihil aliud est, nisi *Enthymema* inversum, adeoque Syllogismus imperfectus. Imperfectus autem Syllogismus non est Syllogismus, nisi fiat Explicatus: sicut neque Explicatus erit Syllogismus, si fiat Contractus. Syllogismus enim ab *Aristotele* rectè definitur, *Prior.* lib. 1. cap. 1. Qui nullâ aliâ re eget, præter ea quæ sumpta sunt, quo concludendi necessitas appareat. Omnis autem Syllogismus contractus aliquâ aliâ re eget, nempe eâ Propositione quæ deest.

e Reductio Obliqua, sive Ad absurdum vel impossibile, (cap. 28) compendiosè & perspicuè fit per *Enthymema*: viz. inferendo Contradictorium alterutrius Præmissæ ex Contradictorio Conclusionis.

Exempli gratiâ.

Aliquis homo (inquis tu) non vivit. Ergo, aliquod animal non vivit. Quod absurdum; vel,

Aliquis homo (inquis tu) non vivit. Ergo, Aliquod animal non vivit. Quod absurdum.

f Com-

f Completur autem Syllogismus, addendo pro ratione consequentiæ, Propositionem quæ omissa erat: viz. in priore [Quia Omnis homo est animal;] In posteriore [Quia Omne animal vivit.]

Versiculi.

a *Præmissâ tantùm breviter concludit ab unâ*
Enthymema. *At nil etiam concludit ab illâ,*
Si non addatur concedaturque quod absit:
b *Nempe in Simplicibus, seu Major sive Minor sit;*
Deerit ut Extremum alterutrum, Majusve Minusve.
c *Ast in Compositis Major plerunque deesse*
Noscitur: in quâ est argumenti tota sequela.
d *Partes inverte, Argumentum subjiciendo.*
e *Contradicendo Obliquè* Enthymema *reducit.*
f *Suppletur defectus, omissam subjiciendo.*

Q CAP.

CAP. XXXVIII.

De Syllogismo Rhetorico.

a SYllogismus, qui vocatur *Rhetoricus*, est Syllogismus cum uno aut pluribus Prosyllogismis.

Prosyllogismus est, qui principali Syllogismo inservit ad probandum ejus Majorem vel Minorem: sed proponitur formâ *Enthymematicâ*.

Exempli gratiâ.

Omnis virtus consistit in mediocritate: sicut vitia in excessu aut defectu. At Justitia est virtus. Ergo, Justitia consistit in mediocritate.

Hic Major probatur ab Oppositis, vel à simili ratione Oppositorum ad Opposita.

Item, Omnis virtus consistit in mediocritate. At Justitia est virtus: ut omnes fatentur. Ergo, Justitia consistit in mediocritate.

Hic Minor probatur à Testimonio communi.

Item ambobus Prosyllogismis conjunctis; Omnis virtus consistit in mediocritate: sicut vitia in excessu aut defectu. At Justitia est virtus: ut omnes fatentur. Ergo, Justitia consistit in mediocritate.

Vide *Ciceronem*, *De Inventione*, 53,54. & *Quintilian.* lib.5. Cap.14.

*Joh.*8.39,40.

b Huc

b Huc pertinet, cum loco Assumptionis vel Conclusionis assumitur vel concluditur aliquid aliud, ex quo sequitur id quod assumendum vel concludendum erat. Ut, Id quod plus est, pro eo quod minus est, Universale pro Particulari, quodvis aliud Oppositum pro Contradictorio, &c.

Sic *Chremes Terent. Eunuch.* Act. 3. Sc. 3. probat, *Thaidem* non esse sororem suam. Ea (id est, soror mea) si vivit, annos nata est sedecim, non major: *Thais*, ego quàm sum, majuscula est. Quod plus est, quàm si dixisset [*Major est, quàm annos nata sedecim.*]

Similiter probatur, Honorem non esse summum bonum. Summum bonum expetitur propter se. Honor expetitur propter aliud; id est, propter opinionem virtutis. Ergo, Honor est subordinatum & inferius bonum.

Item, Summum bonum est proprium ejus, qui illud possidet. Honor est alienum bonum; id est, Honorantis, non honorati. Ergo.

Item, Summum bonum difficulter aufertur, & non nisi propriâ cujusque culpâ. At honor facillimè aufertur; utpote pendens ex opinione & voluntate inconstantis vulgi. Ergo, longè abest à summo bono.

c Hæc Argumentatio aliquando longius progreditur, alia Argumenta aliis accumulans, vel subordinata, vel coordinata.

Exempli gratiâ.

Avarum non esse virum bonum sic probatur.

Vir bonus est ἐπιεικής, de jure suo aliquid remittit; & de bonis suis non tantùm sibi & suis, sed & aliis benefacit, pronus ad dandum & erogandum, potiùs quàm ad accipiendum, etiam ubi justè posset accipere. Avarus autem non solùm sui tenax ac parcus est, nihil aliis impertiens, sed ne aliis quidem tribuit quod ipsorum est; aliena autem per vim & fraudem rapit, adeoque ne justus quidem est, nedum vir bonus. Quinimò ne suis quidem ipse bonis utitur, neque sibi ipsi quæ ad victum & vestitum necessaria sunt, suppeditat; sed ut *Horatius* ait,

——Nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum.

Qui autem sibi nequam est, cui bonus erit? *Sirac.* 14.5.

Versiculi.

a Rhetoricus *confirmat Majorem atque Minorem.*
b *Confirmans pro Confirmato dans aliquando.*
c *Nonnunquam accumulans rationem aliâ ratione.*

CAP.

CAP. XXXIX.

De Inductione sive Epagoge.

a INductio est Argumentatio ab omnibus partibus ad totum.
b Estque vel à Membris ad Integrum, vel à Speciebus ad genus.
c Utraque etiam est vel Affirmativa vel Negativa.

Exempli gratiâ.

I. *A Membris ad Integrum.*

Affirmativa; Plebs, Equester ordo, Senatus, optimè de *Milone* sentiunt. Ergo Totus populus *Romanus* optimè de *Milone* sentit.

Negativa; *Cic.* pro *Flacco.* 159.b. *Phrygia*, *Mysia*, *Caria*, *Lydia*, nullius sunt autoritatis. Ergo, Tota *Asia* est nullius autoritatis.

II. *A Specibus ad Genus.*

Affirmativa. Cic. de *Or.* 151,152. Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, Tactus, citò fastidiunt ea, quibus maximè delectantur. Ergo Omnes sensus, &c. *Rom.* 13.8,9.

Negativa. Arist. Physic. lib.4. Cap.8. In *Vacuo* non potest fieri motus naturalis, neque motus præter aut contra naturam. Ergo, Nullus motus potest fieri in *Vacuo*.

d Si non possunt omnes partes (sive Membra sive Species) enumerari: enumerentur aliquammultæ, & addatur hæc clausula, [*Nec in cæteris contrarium est videre.*] Quam si neget adversarius, oportet eum (si candidè agere velit) dare instantiam sive exemplum in contrarium.

Dissolvitur Inductio, si contra vel unam aliquam partem ejus excipi potest, sive ex iis quæ exprimuntur, sive ex iis quæ non exprimuntur.

Inductio proponitur formâ Enthymematicâ. Argumentum, sive Antecedens, vel Præmissa, est Enumeratio partium: Consequens sive Conclusio, est Totum ex iis collectum.

Compleri potest in Syllogismum, ut docetur Cap. 37.

Versiculi.

a *Totum* Epagoge *ex sumptis partibus omnibus infert;*
b *Integrum nempe ex Membris, Genus ex Speciebus.*
c *Utraque fit nunc affirmando, nuncque negando,*
d *Si non possunt omnes partes enumerari:*
Pro reliquis aliquammultæ tunc enumerentur.

CAP.

CAP. XL.

De Exemplo.

a EXemplum est Argumentum vel à Singulari ad Particulare, vel ab uno Singulari ad aliud Simile.

Proponitur in formâ Enthymematicâ. Argumentum sive Antecedens, est Singulare: Consequens, sive Conclusio, est vel Particulare, vel aliud Singulare Simile.

Exempli gratiâ.

I. *A Singulari ad Particulare.*

Cæsar pepercit *Ciceroni* inimico suo. Ergo, Victor aliquando parcit inimicis suis bello superstitibus.

Hoc nihil aliud est, nisi Syllogismus Expositorius contractus ad Enthymema, Cap. 29. §. *Hujusmodi*, & Cap. 37.

Ut explicetur sive compleatur in Syllogismum, addenda est Minor [*Cæsar* erat Victor, *Cicero* erat inimicus bello superstes.]

II. *Ab uno Singulari ad aliud Simile.*

Cæsar pepercit *Ciceroni* inimico suo. Ergo, Pepercisset etiam *Catoni* inimico suo.

Hîc Similitudo est causa consequentiæ.

Deut 7.18. *Jos.*22.20. *Judic.*11.24,25. *Jer.*7.12, 13,14. *Nahum* 3.8. *Mat.*12.3,5.

b Fortius arguit *Exemplum*, si sit non solùm Simile, sed etiam Par, Majus, Minus: ut, Si *Cæsar* æquè aut etiam magìs infensus fuerit *Ciceroni* quàm *Catoni*, vel si pares tantum aut etiam minores rationes habuisset parcendi *Ciceroni*, quàm *Catoni*. Vide lib. 1. Cap. 19.

2 *Sam.*4.10,11. 2 *Chron.*16. 8. *Neh.*13.26.

Si plura Exempla ejusdem generis afferantur, eò propius accedit hæc Argumentatio ad Inductionem: Adeò ut eam *Cicero* appellet Inductionem. *Topic.* 224.

*Mat.*12.3,4,5. & ver.41,42. *Luc.*14.28, &c. & 15. per totum, & 17.26,&c. *Act.*5.36,37. 1 *Cor.* 10. 6, &c. *Hebr.*11. per totum. *Judæ* ver.5,6,7.

Si reliqua omnia Exempla ejusdem generis afferantur, præter id, quod in Quæstione versatur: Argumentatio valde probabilis est.

Exempli gratiâ.

Auditus, Olfactus, Gustus, Tactus, (id est, reliqui omnes Sensus, præter Visum) fiunt intromittendo: Ergo etiam visus eodem modo fit.

Sed ne sic quidem concludit universaliter aut necessariò, ut Inductio.

c Dis-

c Dissolvitur Exemplum secundi generis, ostensâ dissimilitudine inter id quod infertur, & ea ex quibus infertur.

Exempli gratiâ.

Si sic arguatur; Animæ omnium animantium, præterquam hominis, sunt mortales: Ergo etiam Anima hominis est mortalis.

Resp. Non sequitur: Quia dissimilis ratio est animæ humanæ, & animarum reliquorum animantium. Longè enim altior & divinior est illius, quàm harum natura & origo.

Sic *Isa.* 37. Exempla, quæ afferuntur à Rege *Assyriorum*, ver. 12, 13. refutantur ab *Ezechiâ* ver. 18, 19.

Versiculi.

a Exemplum *ex Sing'lari infert vel Particulare;*
Vel Simile ex Simili, exque Pari Par, Impari & Impar.
b *Quò plura exempla adducis plus roboris affers,*
Si similis ratio est; & plus si Párve vel Impar.
c *Verùm si similis ratio non sit, nihil affers.*

CAP.

CAP. XLI.

De Sorite.

a SOrites est coacervata series Antecedentium & Consequentium, ultimum tandem cum primo connectens.

b Ejus duo sunt Modi.

Primus (qui & solus ab aliis ponitur) est, quo Consequens Propositionis Præcedentis fit Antecedens Propositionis sequentis, atque ita tandem ultimum Consequens cum primo Antecedente connectitur.

Ratio est, quia Consequens Consequentis est Consequens Antecedentis.

Exempli gratiâ.

Omnis homo est animal. Et,
Omne animal est animatum. Et,
Omne animatum est corpus. Et,
Omne corpus est substantia. Ergo,
Omnis homo est substantia.

Secundus modus est, quo Antecedens Propositionis Præcedentis fit Consequens Propositionis sequentis, atque ita tandem primum Consequens cum ultimo Antecedente connectitur.

Ratio est, quia Antecedens Antecedentis est Antecedens Consequentis.

Exempli

Exempli gratiâ.

Omne corpus est substantia. Et,
Omne animatum est corpus. Et,
Omne animal est animatum. Et,
Omnis homo est animal. Ergo,
Omnis homo est substantia.

Utroque modo principalis Conclusio est eadem, Media omnia eadem, Propositiones omnes eædem, sed diverso ordine collocatæ.

Utrobique tot sunt integri Syllogismi, quot sunt Media; id est, tres in his Exemplis, quia tria Media, viz. Corpus, Animatum, Animal.

c Duplex etiam est *Sorites Enthymematum:* Unus ex eodem Antecedente, alter ex eodem Consequente. Et in utroque duplex est processus, viz. A Principiis ad Conclusionem, & à Conclusionibus ad Principia.

Exempli gratiâ.

I. *Ex eodem Antecedente.*

A Principiis ad Conclusiones.

Omnis homo est animal. Ergo,
Omnis homo est animatum. Ergo,
Omnis homo est corpus. Ergo,
Omnis homo est substantia.

A

A Conclusionibus ad Principia.

Omnis homo est substantia. Quia,
Omnis homo est corpus. Quia,
Omnis homo est animatum. Quia,
Omnis homo est animal.

II. *Ex eodem Consequente.*

A Principiis ad Conclusiones.

Omne corpus est substantia. Ergo,
Omne animatum est substantia. Ergo,
Omne animal est substantia. Ergo,
Omnis homo est substantia.

A Conclusionibus ad Principia.

Omnis homo est substantia. Quia,
Omne animal est substantia. Quia,
Omne animatum est substantia. Quia,
Omne corpus est substantia.

Quot sunt Enthymemata(adeoque quot sunt Media) tot sunt integri Syllogismi: Quorum unus est Principalis Syllogismus, reliqui Prosyllogismi.

Propositiones hîc possunt esse vel affirmatæ vel negatæ.

Qui noverit Syllogismum componere, datis Quæstione & Medio (*cap.* 26.) vel Enthymema complere in Syllogismum (Cap.37.) facilè noverit Soriten in Principalem Syllogismum, & Prosyllogismos distinguere, idque varié.

Usus

Usus Soritæ.

d Per hunc celerrimè discurri potest vel à Principio ad finem, vel à fine ad Principium cujusvis Argumentationis, ex quotcunque Prosyllogismis sive novis Mediis constiterit. Et in quacunque ejus parte adversarius hæserit aut titubaverit, statim arripi potest, & uno quasi spiritu, uno quasi momento, transferri vel ad ultimam Conclusionem (id est principalem Quæstionem) progrediendo, vel ad primum principium (id est, primum Argumentum) regrediendo.

e Et quidem utroque ductu; Directo sive Ostensivo, & Obliquo sive Ad absurdum vel impossibile.

Vide Cap. 44. §. 5. *Si Respondens.*

Rom. 8. 29, 30. & 10. 14, 15. 1 *Cor.* 15. 13, 14, 15. & ver. 16, 17, 18, 19.

Eclipsis Solis quæ erat in Passione Christi, probatur esse miraculosa, adeoque testimonium Deitatis Christi.

Eclipsis illa erat prope Pascha *Judæorum.*
Ergo prope Plenilunium.
Ergo non prope Novilunium.
Ergo non per interpositionem Lunæ inter solem & terram.
Ergo non ex ordinariâ naturali causâ.
Ergo erat miraculosa, & testimonium Deitatis Christi.

Versiculi.

Versiculi.

a *Primum per Media,* Extremo *conjungit* Acervus.

b *Atque id dupliciter, sensum at recidendo in eundem.*

c *Enthymematicus Sorites est quoque duplex.*

d *Hinc inde ad summum subitò discurrit & imum:*

e *Seu rectus, sive* Obliquus *sit ductus in illo.*

CAP. XLII.

De Dilemmate.

a D*ilemma* est Argumentatio utrinque adversarium capiens.

b In hoc, Disjunctio vel expressè vel implicitè præmittitur, & optio datur adversario eligendi utram partem velit: utramcunque autem elegerit, inde nostra sententia confirmatur, illius refutatur.

Exempla.

Plutarch. de *Vitandâ usurâ.* Habes? Ne fœnerere, (id est, Ne fœnori accipias) quia non indiges. Non habes? Ne fœnerere, quia satisfacere non potes.

Chremes

Chremes Teren. Heautont. Act. 1. Sc. 1.

Vel me monere hoc, vel percunctari puta.
Rectum est? Ego ut faciam: Non est? Te ut deterream.

Antipho Teren. Phorm. Act. 5. Sc. 4.

Ego nullo possum remedio me exolvere ex his turbis:
Quin, si hoc celetur, in metu; Si patefit, in probro fiem.

Boëtius de *Consol.* lib. 4. probat, Neminem odio habendum. Bonos enim diligendos esse, malos miserandos.

Epictet. Cap. 3. Erit tibi aliquis prælatus in convivio? &c. Si quidem bona ista sunt, gratulari debes ei, cui contigerunt: Sin mala, ne doleas te in ea non incidisse.

Idem Cap. 57. Nihil clàm facito. Nam si perperam facis, rem ipsam fugito: Sin rectè, quid eos vereris, qui non rectè reprehendunt?

Senec. Trag. Hippolyt. ver. 1179.

——— *Morere:*

Si casta es, viro; Si incesta, amori.

Plin. lib. 1. *Epist.* 23. probat Tribunum Plebis caussas agere non debere. Quia convitia fortè multa auditurus est: Quæ si inulta pateretur, iners; si ulcisceretur, insolens videretur.

Cato

Cato apud *Sallustium*, contra *Cæsaris* ſententiam de diſtribuendis Conjuratoribus in municipia. Vanum, inquit, eſt hoc conſilium, ſi periculum ex iis metuit: Sin in tanto omnium metu ſolus non timet, eò magis refert me mihi & vobis timere.

Cicero hoc genere Argumentandi frequentiſſimè utitur.

Pro *Quinctio* 15. a. Utrumlibet elige: Alterum incredibile eſt, alterum nefarium, & ante hoc tempus utrumque inauditum,&c. Si illud diceres, improbè mentiri viderere: cùm hoc confiteris,id te admiſiſſe concedis, quod ne mendacio quidem tegere poſſis.

Idem pro *Qu. Roſcio* 46. Utrùm cætera nomina in Codicem accepti & expenſi digeſta habes, an non? Si non, quomodo tabulas conficis? Si etiam, quomodo cùm cætera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio ampliùs, (quod erat imprimis magnum) in adverſariis relinquebas?

Et ibid. 49. a. Num Tabulas habet, annon? Si non habet, quemadmodum pactio eſt? Si habet, cur non nominas?

Et ibid. 53. b. Quæro, potueritne *Roſcius* ex Societate ſuam partem petere, an non? Si non potuit, quemadmodum abſtulit? Si potuit, quemadmodum non ſibi exegit? Nam quod ſibi petitur, certè non alii exigitur.

Et ibid. 59. a. Cùm de ſuâ parte *Roſcius* tranſegit cum *Flavio*, actionem tibi tuam reliquit, an non? Si non reliquit, quemadmodum H. S. CCCIↃↃↃ ab eo poſtea exegiſti? Si reliquit, quid ab hoc petis, quod per te petere ac perſequi debes?

Idem

Idem pro *Cluentio* 28. *a.* Tum verò ita ſum perturbatus, ut omnia timerem. Si nihil dixiſſem, ne infantiſſimus: Si multa in ejuſmodi cauſâ dixiſſem, ne impudentiſſimus exiſtimarer.

Et ibid. 45. Sed tu, *Acti*, conſideres, cenſeo, diligenter, utrùm Cenſorium judicium grave eſſe velis, an *Egnatii*? Si *Egnatii*, leve eſt, quod Cenſores de cæteris ſubſcripſerunt: Ipſum enim *Egnatium*, quem tu gravem eſſe vis, è Senatu ejecerunt. Sin autem Cenſorium: hunc *Egnatium*, quem pater Cenſoriâ ſubſcriptione exhæredavit, Cenſores in Senatu, cùm Patrem ejicerent, retinuerunt.

Idem in *Ver.*29. *b.* Utrùm hoc tantum crimen prætermittes, an objicies? Si objicies: idemne alteri crimini dabis, quod eodem tempore in eâdem Provinciâ tu ipſe feciſti? An audebis ita accuſare alterum, ut quò minùs tute condemnere, recuſare non poſſis? Si prætermittes: qualis eſt iſta tua accuſatio, quæ domeſtici periculi metu, certiſſimi & maximi criminis non modò ſuſpicionem, verùm etiam mentionem ipſam pertimeſcat?

Et ibid. 139. *a.* Si honoris cauſâ ſtatuam dederunt, inimici non ſunt, credamus teſtibus: Sin metu coacti dederunt, confiteare neceſſe eſt, te in Provinciâ pecuniam ſtatuarum nomine per vim & metum coëgiſſe. Utrum tibi commodum eſt, elige.

Et ibid. 194. *a.* Quod prætereà *Verres* imperat, id, ſi facere non poſſunt, recuſent. Sin poſſunt: Populi *Romani* potiùs hoc ſit vectigal, quàm præda Prætoris.

Idem pro *Muræna* 130. *b.* Quæ conſuluntur (ſcil. in Jure civili) minimo periculo reſpondentur. Si id, quod oporteat, reſpondeas, idem videare reſpondere, quod *Servius*. Sin aliter: etiam controverſum jus noſſe & contrectare videare.

Idem pro *Cælio* 48. *a.* Ea (id est, impudica) si tu non es (sicut ego malo) quid est, quod objiciant *Cælio*? Sin eam te volunt esse: quid est, quod nos crimen hoc, si tu contemnas, pertimescamus? Quare da nobis veniam rationemque defensionis. Nam aut pudor tuus defendet, nihil à *M. Cælio* petulantius esse factum, aut impudentia & huic & cæteris magnam ad se defendendum facultatem dabit.

Et ibid. paulò pòst. Primum illud requiram, Dixeritne *Clodiæ* quam ad rem aurum, tum sumeret, an non dixerit? Si non dixit, cur dedit? Si dixit, eodem se conscientiæ scelere devinxit.

Et. pag. *b.* Si tam familiaris erat *Clodiæ*, quàm tu esse vis, cùm de libidine ejus tam multa dicis: dixit profecto, quò vellet aurum. Si tam familiaris non erat, non dedit. Ita si verum tibi *Cælius* dixit, O immoderata mulier! sciens tu aurum ad facinus dedisti? Si non erat ausus dicere, non dedisti.

Idem *Epist.* fol.97. *a.* Veni domum, &c. Si esset aliqua forma Reipublicæ, tanquam in Patriâ ut essem: Sin nulla, tanquam in exilio.

Et pag. *b.* Si hæc Civitas est, civem esse me: Si non; exulem esse non incommodiore loco, quàm si *Rhodum* aut *Mitylenas* contulissem.

Idem *Epist.* fol. 233. Si erunt in officio amici, pecunia non deerit: Si non erunt, tu efficere tuâ pecuniâ non poteris.

Apud eundem *De Orat.* 140. Cæsar *Crasso.* Si quod difficilius est, id tibi reliquit [scil. *Antonius*] est nobis causa, cur te audire cupiamus: Sin quod facilius est; tibi causa non est, cur recuses.

Idem in *Verrem* 61. *b.* notat, *Hortensium*, insignem illum Oratorem, solitum esse hoc genere Argumentandi uti. Quoties (inquit) tibi potestatem optionemque facturus sit, ut eligas utrum velis, factum esse necne? verum esse an falsum? Utrum dixeris, id contra te futurum.

Politian. lib. 7. *Epist.* 18. Non præstas, quæ pollicitus. Conqueror, si oblitus: magis etiam, si non oblitus. Oblitum fuisse, vix amici: non præstare, cùm recorderis, prorsus inimici.

Tertullian. lib. de *Pœnitentiâ.* Vanissimum est dicere, *Volui*, nec tamen feci. Atquin perficere debes, quia vis, aut nec velle, quia nec perficis. Quacunque te constitueris, crimine astringeris: quia aut malum volueris, aut bonum non adimpleveris.

Cyprian. contra *Demetrian.* Christianum esse, aut crimen est, aut non est. Si crimen est, cur non interficis confitentem? Si non est, quid persequeris innocentem?

Hieronymus Apologiâ adversus *Ruffinum*, lib. 1. Epist. 36. Si sint vera, quæ scripsit, cur publicum timuit? Sin falsa, cur scripsit?

Ad 2 *Reg.* 6. 13, &c. Si verum erat, quod Rex *Syriæ* audierat, *ver.* 12. frustra mittit insidiatores: Sin falsa, non erat causa cur mitteret.

Ad *Mat.* 2. 16. Si puer ille natus, erat Christus: frustra eum *Herodes* conabatur perdere. Si non erat, cur perderet?

Ad *Mat.* 28. 13. Si dormiebant custodes, quomodo sciebant discipulos Christi furatos esse corpus ejus? Si vigilabant, cur sinebant?

Ad *Mat.* 21.25,26. Sacerdotes & Seniores argumentatione hac usi sunt contra seipsos. Si dixerimus, De cœlo, &c.

Joh. 18. 23. Christus pro seipso. Si malè locutus sum, testare de malo: Sin bene, cur me cædis?

Act. 5. 38,39. *Gamaliel*, Si (inquit) hoc consilium, sive opus, ex hominibus est, dissolvetur. Sin ex Deo est, non potestis dissolvere. Ergo, Abstinete ab hominibus istis, & sinite eos.

c Ut Dilemma validum sit,

1. Disjunctio debet esse sine Medio.
2. Illatio ex utrâque parte debet esse firma.

d Contrà, Dissolvitur Dilemma,

1. Dando Medium.
2. Negando Consequentiam, sive Illationem ex utrâvis parte.

Exempli gratiâ.

Ad illud *Biantis* Dilemma [Si duxeris uxorem formosam, habebis κοινὴν, Communem: Si deformem, habebis ποινὴν, Molestam. Ergo, Nulla ducenda est.]

Responderi potest,

1. Negando Disjunctionem. Non enim necesse est ut ducatur vel formosa, vel deformis; sed mediocris formæ.

2. Utraque consequentia vacillat. Neque enim si formosa, ideo communis, neque si non formosa, ideo molesta. Eadem enim potest esse & formosa & casta: Eadem etiam, quæ non commendatur à formâ, potest à virtutibus aliisque rationibus commendari. Vide *A.Gellium*, lib.5.cap.11.

Ad

Ad dissolvendum autem Dilemma non requiritur ut hæc omnia vitia in eo reperiantur, ut hîc: Sufficit si unum aliquod ei insit; id est, si vel Disjunctio, ve altera consequentia negari possit.

Sic in illo Dilemmate *Catonis* apud *Ciceronem* de *Senect.* 91. *a.* Mors (inquit) aut plane negligenda est, si omnino extinguit animum, aut etiam appetenda, si eum aliquò deducit ubi sit futurus æternus.

Et 92. *b.* Post mortem sensus aut optandus aut nullus.

Et *Tusc.* Quæst. 174. *b.* In morte aut summum bonum, aut nullum malum.

Et *Senec.* Epist. 24. Mors nos aut consumit, aut emittit. Emissis, meliora restant: consumptis nihil restat, bona malaque summota sunt.

Resp. Disjunctio negatur. Impios enim manent pœnæ post mortem. Adeoque sensus eis nec optandus, nec nullus erit. Mors neque appetenda, neque negligenda. Animos enim eorum neque consumit, neque ad meliora emittit. Futuri siquidem æterni sunt, sed æternè miseri. Bona, non mala summota sunt.

Dilemma quomodo retorqueatur per *Biaion*, vide Capite sequente, Modo Primo & Secundo.

Versiculi.

a *Adversarium utrinque capit* Dilemma. *Quod uno*
b *Disjuncto constat, duplicique exinde sequelâ.*
c *Ut validum fiat* Dilemma, *utrumque require: Ut*
Sit Disjunctio vera, & utrinque illatio firma.
d *Alterutrum si defuerit,* Dilemma *vacillat.*

CAP. XLIII.

De Biaio, sive Violento.

a BIaion, sive *Violentum*, est, quo Adversarii Argumentatio in ipsum retorquetur.

Hoc fit variis modis, præcipuè quatuor.

Primus Modus.

b Primus Modus (qui & frequentissimus est, & fere solus ab aliis ponitur) est, quando ex Argumento Adversarii infertur Contradictorium Conclusionis ejus.

Hîc semper paratam habere debemus rationem, quare consequentia nostra verior, sive probabilior sit quàm Adversarii.

Exempli gratiâ.

Si sic arguat aliquis, Nobilis sum: Ergo, Nolo philosophari, aut bonis literis operam navare.

Retorquetur. Imò quia nobilis es, ideo debes, etiam plusquam cæteri, Philosophari, sive bonis literis operam navare.

Ratio. Quia plus otii, majorem opportunitatem, majora adjumenta habes. Item, ut dignum genere animum habeas, optimis artibus excultum. Denique, ut cum majore fructu utaris doctrinâ tuâ ad bonum publicum.

Ter.

Ter. Prolog. in *Adelph.*

Nam quod isti dicunt malevoli, Homines nobiles
Eum adjutare, assiduéque unà scribere :
Quod isti maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam; cùm illis placet,
Qui vobis universis & populo placent.

Cic. in *Ver.* 64. Dixerat *Cæcilius*, se potiùs quàm *Ciceronem*, debere esse accusatorem, sive actorem contra *Verrem*, quia ipse [*Cæcilius*] fuerat Quæstor *Verris* in *Sicilia*.

Retorquet *Cicero.* Hæc causa gravis esset, si certares uter nostrûm illi amicior esset. In contentione suscipiendarum inimicitiarum, ridiculum est putare, causam necessitudinis, ad inferendum periculum justam videre oportere. Vide plura ibid.

Ibid. fol. 55. Dicebam [*Siculis*] Habere eos actorem *Q. Cæcilium*, qui præsertim Quæstor in eâdem Provinciâ post me Quæstorem fuisset.

Retorquet. Quo ego Argumento sperabam hanc à me molestiam posse dimoveri, id mihi erat adversarium maximé. Nam illi multo mihi hoc faciliùs remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos Quæstor non fuisset.

Ibid. fol. 194. Quid igitur dices? Fecisse alios?

Retorq. Quid hoc est? Utrùm crimini defensio an comitatus exilio quæritur? &c. Potius, te damnato, cæteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quàm, te absoluto, alii quod audacissimè fecerunt, rectè fecisse existimentur.

Idem pro *S. Roscio* 26. *a.* Age nunc, Refer animum sis ad veritatem, & considera, &c. jam profectò te intelliges, inopiâ criminum, summam laudem *S. Roscio* vitio & culpæ dedisse.

Idem in *Vatinium* 29. At enim dixisti, Non meâ, sed Reipub. causâ homines de meo reditu laborasse.

Retorq. Quasi verò quisquam vir excellenti animo in Remp. ingressus optabilius quicquam arbitretur, quàm se à suis civibus Reipublicæ causâ diligi.

Et paulò póst. Quod quidem ego reddo tuum. Nam ut tu me charum esse dixisti Senatui populoque *Romano*, non tam meâ causâ quàm Reipublicæ: Sic ego te, quanquam sis omni diritate atque immanitate teterrimus, tamen dico esse odio civitati non tam tuo quàm Reipublicæ nomine.

Idem de *Senect.* 85. *b.* Sequitur tertia vituperatio Senectutis, quòd eam dicunt carere voluptatibus.

Retorq. O præclarum munus ætatis! si quidem id aufert à nobis, quod in adolescentia est vitiosissimum.

Idem de *Orat.* 110, 111. *Crassum* inducit, tria *Catuli* Argumenta retorquentem. Omnia ista (inquit) ego alio modo interpretor, &c. vide locum.

Cyprian. de *Eleemosyna. Ob.* Sed enim multi sunt in domo liberi, &c.

Retorq. Atqui hoc ipso operari [id est, Eleemosynas dare] amplius debes, quia plures sunt, pro quibus Dominum depreceris: Sicut *Job* obtulit holocausta pro numero liberorum.

Sic si quis objiceret, Nolo dare aliis (præsertim multis) quia ignoro quid futurum sit mali super terram.

Retorq. Eccle. 11. 1, 2. Da partem septem, nec non & octo [id est, Multis] quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

Ob. Cùm faciam prandium aut cœnam, vocabo amicos meos, &c. ut & ipsi me vicissim vocent & fiat mihi retributio; non autem vocabo pauperes, &c. quia non habent quod retribuant mihi.

Retorq.

*Retorq.Luc.*14.12,13,14.Imò ideo noli vocare amicos tuos, &c. neforte & ipsi te viciffim vocent, & fiat tibi retributio: Sed voca pauperes, &c. quia non habent quod tibi retribuant. Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

Luc. 19. 21. *Ob.* Timeo te, quod homo sis austerus, &c.

Retorq. ver.22,23. Ex ore tuo te judico, &c.

Et ver. 24. *Ob.* Domine, habet decem minas. Quasi dixissent, Ergo, Alia mina non est ei danda.

Retorq. Imò ideo date ei, quia habet decem. Nam dico vobis, Omni habenti dabitur, &c.

c Hoc modo retorquetur Dilemma: cùm utrumque ejus cornu in adversarium invertitur.

Exempli gratiâ.

Ob. Annona aut cara est, aut vilis. Si cara est: non dabo pauperibus, quia non possum id facere sine magnâ impensâ. Si vilis est: non necesse est dare, quia tum non multum indigent.

Retorq. Si cara est: dabis, quia tum maximè indigent. Si vilis est: dabis, quia id potes facere vili & sine magnâ impensâ.

Tale est illud exemplum *Antigoni* & *Cynici* apud *Senecam, De benefic.* lib.2. cap. 17.

Et illud *Protagoræ* & *Euathli* discipuli ejus apud *A. Gellium*, lib.5. cap. 10. vel(ut alii) *Coracis* & *Tisiæ* discipuli ejus apud *Erasm. Adag.* Mali corvi malum ovum.

Sic illud Filiæ & Patris apud *Cicer.* ad *Heren.* 13. Filia objicit Patri.

Injuriâ

Injuriâ abs te indignâ afficior, pater.
Nam si improbum Chrespontem existimaveras:
Cur me huic locabas nuptiis? Sin est probus:
Cur talem invitam invitum cogis linquere?

Retorquet Pater.

Nullâ te indignâ, Nata, afficio injuriâ.
Si probus est; bene locavi. Sin est improbus:
Divortio te liberabo incommodis.

ç Secundus Modus.

Secundus Modus est per Retaliationem: cùm scilicet ex Adversarii Argumento ejusve Pari aut Simili, absurdum aliquod eàdem ratione infertur.

Exempli gratiâ.

Ob. Totus homo generatur. Ergo, Anima generatur.

Retorq. Eâdem ratione, Totus homo moritur. Ergo, Anima moritur. Totus homo, sed non totum hominis.

Ob. Bruta edunt opera artificiosa, ut Aves nidos, Araneæ telas, &c. Ergo sunt ratione prædita.

Retorq. Etiam Terra & Plantæ edunt opera artificiosa; (ut, folia, flores, fructus.) Ergo, sunt ratione prædita.

Cic. in *Ver.* 113.*b.* *Ob.* At enim, ad *Verrem* ista pecunia non pervenit.

Retorq. Adjuvo te, Mei testes idem dicunt: *Volcatio* dicunt se dedisse, &c. Et amplius dico, *H. S.* quadringenties

genties accepisse te arguo contra leges: Nego tibi ullum nummum esse datum. Sed cùm ob tua decreta, &c.

Primasius in Epistolas *Pauli*. Si Epistola ad *Hebræos*, ideo *Pauli* non erat, quia ejus non habet nomen: ideo nullius erit, quia nullius nomine titulatur.

Hoc modo Retorqueri potest quivis Syllogismus peccans formâ; ut, Ex omnibus affirmatis in Secundâ Figurâ, Equus (inquit Sophista) est quadrupes, Et Leo est quadrupes. Ergo, Leo est equus.

Retorq. Anser est bipes. Et Sophista est bipes. Ergo, Sophista est anser.

Huc pertinet, cùm in nos objicitur, quod Pari ratione objici potest in illos in quos non debet, aut in quos adversarius nolit: ut in ipsum, aut in amicos, socios, advocatos, testes, judices ejus.

Sic *Ulysses* in *Ajacem*, *Ovid. Metam.* lib. 13. ver. 296.

Quid quod me duri fugientem munera belli
Arguit incepto serò accessisse labori?
Nec se magnanimo sentit maledicere Achilli, &c.

Et paulò póst.

Neve, in me stolidæ convitia fundere linguæ
Admiremur eum: Vobis quoque digna pudore
Objicit. An falso Palamedem *crimine turpe est*
Accusasse mihi, vobis damnasse decorum?

Simili modo Retorqueri potest Dilemma: cùm eadem aut similis Disjunctio proponitur, & eâdem ratione ex utrâque ejus parte absurdum aliquod infertur.

Exempli

Exempli gratiâ.

Auguſtinus Epiſt.6. ad *Italicam.*

Objecerat Hæreticus: Potuit Chriſtus carni ſuæ præbere, ut corporeis oculis videret Patrem? An non potuit? Si non potuit, non eſt Omnipotens: Si potuit, tum poteſt Deus corporeis oculis videri.

Retorquet *Auguſtinus*. Potuit Chriſtus carnem ſuam convertere in ſubſtantiam Dei? An non potuit? Si non potuit, non eſt Omnipotens: Si potuit, tum poteſt caro Chriſti converti in Subſtantiam Dei. Quo pacto (inquit) exierint ex hoc laqueo alieno, ſic exeant de ſuo.

Item inter Epiſtolas *Auguſtini* Epiſt. 11. quæ eſt *Hieronymi.* Objecerat *Auguſtinus* contra novam Veteris Teſtamenti Verſionem ex *Hebræo.*

Aut obſcura (inquit) fuerunt, quæ interpretati ſunt *Septuaginta*, aut manifeſta. Si obſcura; te quoque in iis falli potuiſſe credendum eſt: Si manifeſta, illos in iis falli non potuiſſe credendum eſt.

Retorquet *Hieronymus.* Tuo tibi Sermone reſpondeo: Omnes Veteres tractatores, qui Scripturas interpretati ſunt, aut obſcura interpretati ſunt, aut manifeſta. Si obſcura: Quomodo tu poſt eos auſus es diſſerere, quod illi explicare non potuerunt? Si manifeſta: Superfluum eſt te voluiſſe diſſerere, quod illos latêre non potuit. Humanitatis tuæ (inquit) eſt, in quo veniam tibi tribuis, indulgere & cæteris.

Gregorius Nazianz. Orat. 35. *Tom.* 1. *Græcolat.* 365. Objecerat hæreticus contra æternam generationem Filii Dei. Pater (inquit) vel volens Filium genuit, vel nolens. Si nolens: vim ergo ei allatam eſſe neceſſe eſt. Si autem volens: Ergo Filius, voluntatis filius eſt.

Retor-

Retorquet *Gregorius*. Dic quisquis es, qui temere quicquid libido tua tulerit, effutis. Ex volente Patre tuo natus es? an nolente? Si ex nolente; vis ergo ei allata est: Et quis tandem ei vim attulit? Si autem ex volente patre: Pater tibi propter paucas Syllabas periit; Voluntatis enim filius, & non Patris extitisti.

d *Tertius Modus.*

Tertius Modus est, quando ex Contradictorio Argumenti Adversarii infertur Contradictorium Conclusionis ejus.

Exempli gratiâ.

Ob. Non sentit. Ergo, mortuus est.
Retorq. Sentit. Ergo, mortuus non est.

Ob. Cor, non cerebrum, est principium nervorum. Ergo cor, non cerebrum, est commune sensorium.
Retorq. Cerebrum, non cor, est principium nervorum. Ergo, Cerebrum, non cor, est commune sensorium.

Joh. 7. 41, 42. *Judæi* sic arguebant. Jesus natus est in *Galilæâ*, non *Bethlehemæ*. Ergo, non natus est ubi Christum nasci oportuit.
Retorq. Christus natus est, non in *Galilæâ*, sed *Bethlehemæ*. Ergo, natus est ubi Christum nasci oportuit.

e *Quartus Modus.*

Quartus Modus eſt, cùm ex Contradictorio Concluſionis Adverſarii infertur Contradictorium Argumenti ejus.

Exempli gratiâ.

Ob. Mortuus eſt. Ergo, Non ſentit.

Retorq. Sentit. Ergo, Mortuus non eſt.

Ob. Orbes Cœlorum ſunt ſolidi. Ergo, Non dantur Cometæ ſupra Lunam.

Retorq. Dantur Cometæ ſupra Lunam. Ergo, Orbes Cœlorum non ſunt ſolidi.

Ob. Cœlum movetur ab Intelligentiis. Ergo, Non movetur à formâ informante.

Retorq. Cœlum movetur à formâ informante, (ut omnia reliqua corpora naturalia.) Ergo, Non movetur ab Intelligentiis.

Ob. Sol eſt centrum mundi. Ergo, Terra non eſt.

Retorq. Terra eſt centrum mundi. Ergo, Sol non eſt.

Ob. Locus rectè definitur Superficies corporis continentis. Ergo, Cœlum ſupremum non eſt in loco.

Retorq. Cœlum ſupremum eſt in loco, (ut ſunt reliqua omnia corpora naturalia.) Ergo, locus non rectè definitur Superficies corporis continentis.

Ob. Mundus potuit creari ab æterno. Ergo, Datâ immortalitate Animarum humanarum, potuit dari numerus illarum actu infinitus.

Retorq. Non poteſt dari numerus actu infinitus. Ergo, Mundus non potuit creari ab æterno.

f Hos

f Hoc & præcedente modo uti poſſumus quandocunque adverſarius petit principium: id eſt, ſumit pro argumento id, quod æquè aut etiam magis dubium eſt quam ipſa Quæſtio.

Verſiculi.

a *Quo petitur telo, pugnat* Violentus *eodem.*

Quatuor idque modis, alios ut forſan omittam.

bc *Oppoſitum Primus probat, Abſurdumque Secundus.*

de *Tertius Oppoſitum Oppoſito, Quartuſque viciſſim.*

bc *Horum Primus, itemque Alter, Dilemma retorquet.*

f *Principiumque petentem poſtremi duo torquent.*

CAP.

C A P. XLIV.

De Disputatione. Et Primò, De Sociali.

USus tum Syllogismi tum reliquarum omnium, quæ adduntur, formarum argumentandi, est ad Disputationem.

Disputatio est Quæstionis propositæ agitatio.

Quæstio est vel Sciscitativa, vel Dialectica propriè dicta.

Sciscitativam voco, ad quam non potest responderi per *Etiam*, vel *Non*; ut quæ fit per hæc vel similia Interrogativa, Quis, quid, quot, quantus, qualis, quomodo, quare, ubi, unde, quò, quà, quando, quamdiu, quoties, &c.

Dialectica quæstio (propriè sic dicta) est, ad quam respondetur per *Etiam*, vel *Non*; ut, quæ fit per hæc Interrogativa, An, num, ne, nonne, necne. Supra, cap. 20.

Quæstio dialectica sola est proprium atque immediatum subjectum Disputationis: Sciscitativa, improprium ac mediatum. Ex Responsione enim ad hanc nascitur illa.

Exempli gratiâ.

Sit Quæstio Sciscitativa, Quod sit centrum mundi? & responsum sit; Terra: Hinc nascitur Quæstio dialectica, An Terra sit centrum mundi? Et respondetur, *Etiam*, vel *Non*.

a Quæ-

a Quæſtionis dialecticæ duæ ſemper ſunt partes, altera Affirmata, altera Negata; Et quidèm inter ſe Contradictoriæ. Contrariæ enim poſſunt eſſe ſimul falſæ, & Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ; licèt utrobique altera affirmetur, altera negetur: ut ſuprà Cap.6.

Diſputatio eſt vel Socialis vel Solitaria.

b Socialis eſt, ubi Diſputantes ſunt duæ diſtinctæ perſonæ; viz. Opponens (qui ſpecialiter dicitur Diſputans) & Reſpondens. Quorum alter alteri ſemper debet contradicere. Sic enim alter, & alter tantùm, veritatem tuebitur.

c Quæſtio diſputanda eligitur & proponitur aliquando ab Opponente, aliquando à Reſpondente, aliquando ab aliquo alio. Eligere autem quam partem tueri velit, ſemper debet eſſe penes Reſpondentem.

De officiis Diſputantium.

d Commune officium amborum Diſputantium eſt, ut intelligant terminos & ſtatum Quæſtionis controverſæ, & ut de iis inter ipſos conveniat. Specialia utriuſque Officia ſequuntur.

I. *Officia Opponentis.*

e 1. Inveniat Argumentum ſive Medium. Quod fit ducendo terminos Quæſtionis per ſingula Capita Argumentorum, ſive ſingulos Locos inventionis, lib. 1.

f 2. Concludat Quæſtionis partem ſuam (id eſt Contradictoriam parti *R*eſpondentis) formâ Syllogiſticâ,

& quoad fieri potest, Syllogismo Caregorico, ut docetur Cap. 21. & 26. & 35.

Brevitatis causâ aliquando uti potest Enthymemate: ita tamen ut, si requiretur, redigat in Syllogismum; ut docetur Cap. 37.

g 3. Si qua Præmissa negata fuerit à Respondente: eam, quasi nova Quæstio sit, novo Medio, adeoque novo Syllogismo, concludat. Eodemque modo progrediatur à Syllogismo ad Syllogismum, donec Argumentatio ad finem perducta fuerit.

h 4. Si per distinctionem aut limitationem responsum fuerit: eas, si argumento non satisfecerint, tollat. Id est; Ostendat, Nihil in Syllogismo suo dupliciter accipi; vel, sive hoc sive illo modo quid accipiatur, Syllogismum similiter procedere.

i 5. Si Respondens vacillaverit, aut tergiversatus fuerit, modò hoc modò illud affirmans, idemque negans: Opponens adstringat breviter totam argumentationem suam in Soriten Enthymematum; & sive progrediendo à Principiis ad Conclusiones, sive regrediendo à Conclusionibus ad Principia, ei ubique occurrat & insistat; ut docetur Cap. 41. §. *Per hunc.*

k 6. Si Argumento satisfactum fuerit: ne amplius litiget, sed aut quiescat, aut ad novum Argumentum transeat.

l 7. Opponenti maximè cavendum est, ne propositionem veram aut probabilem Argumento minùs vero, aut minùs probabili probare instituat; adeoque cùm meliòres partes aut ab initio habuerit, aut in progressu disputationis, Respondentis lapsu, aut imprudentiâ nactus

nactus fuerit, eas hoc modo amittat, & Reſpondenti tradat.

II. *Reſpondentis Officia.*

m 1. Argumentum ſive Syllogiſmum Opponentis totum audiat.

2. Diſtinctè repetat. Idque tum Adverſarii gratiâ, ut agnoſcat nihil in eo mutatum eſſe: Tum gratiâ Auditorum (ſi qui fuerint) ut vim Argumenti meliùs percipiant: Tum denique ſui ipſius gratiâ, ut illud diligentiùs perpendat, meliuſque conſideret, quid reſpondendum ſit.

3. Audito & repetito Argumento, breviter & aperte reſpondeat.

Modi reſpondendi varii ſunt: Alii directi, alii indirecti.

Directè reſpondetur quatuor Modis.

n 1. Si Opponens aut ab initio non concludat ſuam partem Quæſtionis (id eſt, Contradictoriam parti Reſpondentis) aut in progreſſu Diſputationis non probaverit Propoſitionem negatam: Reſpondens rejiciat Argumentum tanquam nihil ad rem, nihil ad ſe; neque omnino examinet vel materiam vel formam Syllogiſmi. Hoc autem ut clariùs fidentiuſque faciat, oſtendat diſtinctè tum quid Opponens concludat, tum quid concludere debeat.

o 2. Si Opponens concludat quod concludendum eſt, ſed vitioſo Syllogiſmo: Reſpondens vitium illud notet, oſtendatque, ſi opus eſt, contra quam regulam peccet, neque examinet aut curet, utrùm Præmiſſæ ſint veræ an falſæ. Nunquam enim reſpondendum

est ad materiam Syllogismi si peccet formâ. Vitiosus enim Syllogismus non est Syllogismus, sed Paralogismus: ideoque concedi possunt Præmissæ, & tamen Conclusio negari, Cap. 20. §. *Forma Syllogismi.* Et hîc etiam ostenso quomodo Syllogismus peccet, ostendi etiam potest, quomodo corrigendus sive rectificandus sit.

p 3. Si forma Syllogismi legitima sit, sed altera Præmissarum falsa: Respondens illam neget. Si ambæ Præmissæ falsæ sint: neget utram commodius ei visum sit negare, non reticendo etiam de falsitate alterius. Aut si liberaliùs cum Adversario agere placeat: neget utramque, & permittat ejus arbitrio probare utram velit.

q 4. Si neque forma Syllogismi sit apertè vitiosa, neque Præmissarum altera nudè & simpliciter neganda esse videatur: tum semper latet aliquid ambigui in terminis vel Simplicibus vel Conjunctis, quod distinctione vel limitatione solvendum est. Quanquam revera omnis Syllogismus in quo est aliquis terminus ambiguus, habet implicitè quatuor terminos, adeoque peccat formâ. Caput 21. §. *Sint tantùm tres.*

Huic affine est, cum quid pro quo accipitur; id est, cùm Diversa accipiuntur vel pro iisdem, vel pro Oppositis; ut notatum fuit lib. 1. Cap. 9.

r Indirecti modi respondendi tres præcipuè sunt; Ἐξουθενισμὸς, Ἀνθυποφορὰ, & Βίαιον.

1. Ἐξουθενισμὸς est contemptio Argumenti tanquam Responsione indigni: siquidem revera tale sit. Nam quale est Argumentum, talis debet esse Responsio. Nugis enim seriò & operosè Respondere, perinde ridiculum est, atque nugari in re seriâ.

2. Ἀνθυ-

2. Ἀνθυποφορά (latè ſumpta) eſt Objectio Paris, aut etiam Majoris, vel Rationis rationi, vel Autoritatis autoritati.

3. Βίαιον, ſive Retorſio (de quo Capite præcedente) ſecundum omnes Modos ejus.

Hæ autem duæ poſtremæ indirectæ Reſponſiones uſitatiores ſunt in Diſputatione Solitariâ quàm in Sociali. Et in utrâque ferè, non niſi præmiſſâ aut ſubjunctâ aliquâ directâ reſponſione, adhibendæ. Reſpondentis enim Officium eſt reſpondere, non regerere. Nam, ut dici ſolet, Allegare inconveniens, non eſt ſolvere Argumentum. Et, Non valet exemplum, quod litem lite reſolvit.

ſ Reſpondenti maximè cavendum eſt, ne aut ab initio falſam partem Quæſtionis defendendam ſuſcipiat, aut in progreſſu Diſputationis veram aliquam Propoſitionem neget, adeoque veritatem priùs ſuſceptam amittat, & Opponenti tradat.

t Ex Propoſitionibus Hypotheticis, Opponenti maximè inſerviunt Connexæ & Disjunctæ affirmatæ, Copulatæ & Diſcretæ negatæ. Reſpondenti, Connexæ & Disjunctæ negatæ, Copulatæ & Diſcretæ affirmatæ.

Verſiculi.

a *Semper habet binas dialectica Quæſtio partes.*
Illarum utraque erit Contradictoria utrique.
b *Reſpondens unam tenet, Opponens tenet alt'ram.*
c *Quiſquis proponit, Reſpondens eligit utram*
Ipſius interſit partem defendere velle.
d *Commune Officium eſt, ut uterque intelligat, utque*
Conveniat quid controverſum, quidque datum ſit.

Officia Opponentis.

e 1. *Inveniat Medium, Extremis per singula ductis.*
f 2. *Legitimáque suam formâ concludito partem.*
g 3. *Reddat, siqua negata siet Præmissa, probatam.*
h 4. *Si malè distinctum fuerit, bene tollat oportet.*
i 5. *Si titubetur, Sorites astringat in arctum.*
k 6. *Si satis est factum Argumento, exinde quiescat.*
l 7. *Si veras nactus partes, ne postea perdat.*

Officia Respondentis.

m *Audiat, & repetat, respondeat & repetito.*
Quatuor idque modis directè simpliciterque.
n 1. *Si non Conclusum est quod oporteat, abjiciatur.*
o 2. *Si non legitimè Conclusum, detegat illud.*
p 3. *Si falsa est Major Præmissa, Minorve, negetur.*
q 4. *Si latitet vitium distinguendo eruat illud.*
r 5. *Indirectè respondeto, sicubi oportet :*
Per Contemptum, perque Objectum, perque Retortum.
s 6. *Imprimis caveat Respondens, & moneatur,*
Ne veras partes amittat vera negando.
t *Opponenti Connexa & Disjuncta ministrant*
Affirmatæ, Conjuncta & Discreta negatæ.
Respondenti Conjuncta & Discreta ministrant
Affirmatæ, Connexa & Disjuncta negatæ.

CAP.

C A P. XLV.

De Disputatione Solitariâ, sive Positione.

DIsputatio solitaria est, ubi unus idemque Disputans & Opponentis & Respondentis officio fungitur. Vel, Est tractatio Quæstionis Dilecticæ perpetuâ oratione. Quæ Oratio ab aliis *Suppositio*, ab aliis *Positio* appellatur.

a Hujus, ut aliarum Orationum, quinque sunt partes: viz. *Exordium*, *Expositio*, *Confirmatio*, *Confutatio*, *Peroratio*. Quarum tres Mediæ, essentiales & principales sunt: Prima & ultima, Accidentariæ & minus Principales.

b I. *Exordium.*

Exordium ex variis locis peti potest; ut,

1. A facilitate, vel difficultate Quæstionis propositæ.
2. A celebritate, vel raritate.
3. Ab utilitate, necessitate, sublimitate.
4. A convenientiâ, respectu loci, temporis, personarum, &c.
5. Προληπτικῶς, ab apparente inutilitate, non-necessitate, humilitate, inconvenientiâ, respectu loci, temporis, personarum, &c. Quæ objectiones occupandæ & tollendæ sunt.

6. Denique ex quavis re, quæ propriè ad Quæstionem pertineat. Quod autem alienum (vel ut Rhetores vocant, vulgare) est, id est, quod cuivis Quæstioni aut Orationi æque convenit, nulli convenit.

Atque in hoc præcipuè genere Orationum, Exordium per breve omnino esse debet, & potiùs nullum quàm nimium.

c II. *Expositio.*

Hic, 1. Termini Quæstionis (si opus est) explicandi sunt: sed eatenus tantùm, quatenus ad Quæstionem intelligendum conducit, & quantum satis est.

2. Summa cura adhibenda est, ut rectè figatur status *Controversiæ*: ne plures Quæstiones pro unâ atque eâdem, aut unam pro aliâ accipiamus.

3. Variis Opinionibus recitatis, ostendendum est, quid nobis cum singulis conveniat, quid discrepet; quid diversum, quid oppositum nobis sit.

d III. *Confirmatio, sive* Κατασκευή.

Confirmatio, sive Κατασκευὴ, est, quâ sententiam nostram astruimus, & contradictoriam destruimus (unâ enim & eâdem opera utrumque fit) omni genere Argumentorum, tum artificialium sive rationum, tum inartificialium sive testimoniorum.

Hæc in varia sæpe membra distribuitur, pro variis opinionibus à sententiâ nostrâ discrepantibus:

Huic subjungitur ipsius *Communitio.* Quâ in singulis Argumentis vel colligimus & notamus ea, quæ responderi solent, vel occupamus ea quæ responderi possunt,

funt, & contra utraque communimus & ftabilimus Argumenta noftra.

De hac parte vide Cap. 44. in *Officiis Opponentis.*

§ IV. *Confutatio,* five 'Ανασκευή.

Per Confutationem hic intelligimus non deftructionem Opinionum fententiæ noftræ Oppofitarum per Argumenta noftra (hoc enim, ut modò dictum eft, unâ & eâdem operâ fit cum Confirmatione fententiæ noftræ;) fed Refponfionem ad objectiones contra fententiam noftram allatas. Igitur, ut in Confirmatione, Opponentis, ita in Confutatione, Refpondentis parte agimus.

Confutationi fuæ etiam fubjungitur *Communitio*: id eft, Defenfio Refponfionum noftrarum contra inftantias Adverfariorum: Cùm fcilicet vel colligimus & notamus ea quæ regeri folent, vel occupamus ea quæ regeri poffunt, & contra utraque Refponfiones noftras communimus & ftabilimus.

De hac parte vide Cap. 44. in *Officiis Refpondentis.*

Quando poft recitatam pofitionem fecutura eft Difputatio focialis (ut in Academiis noftris mos eft:) tota hæc pars (confutatio, ejufque Communitio) meliùs ad eam refervatur, & in Pofitione omnino omittitur: Ne eædem Refponfiones, tanquam crambe repofita, naufeam & faftidium pariant. Saltem minùs auditores delectant, minoremque apud eos ingenii laudem obtinent, Refponfiones, quæ meditatæ & præparatæ domo afferuntur, quàm quæ extempore in ipfâ arenâ ex Opponentis Objectionibus natæ videntur.

§ V. *Per-*

§ V. *Peroratio.*

Peroratio (præſertim ſi Poſitio vivâ voce pronuntiata fuerit) habeat brevem & ſummariam repetitionem præcipuorum Capitum, unà cum Apoſtrophe ad Auditores, ex iiſdem ferè locis deſumptâ, ex quibus Exordium.

Verſiculi.

a *Ordior, Expono, Confirmo, Refuto, Peroro:*
Tres Mediæ ſunt Præcipuæ partes: reliquæ autem,
Prima viam ſternit tribus his, atque ultima claudit.
b *Quicquid Quæſtio fert, exinde Exordia ſumas.*
Convenit at nulli, quod & æque convenit omni.
c *Exponas quantum eſt opus, & quantum ſatis ad rem.*
d e *Firma Argumentis propriis: Reſponde alienis.*
f *Utque incepiſti, ſimili ratione perora.*

CAP.

C A P. XLVI.

De Methodo.

HActenus de Propoſitione, & Argumentatione. Reſtat ut de Methodo breviter dicamus.

Methodus eſt variarum Propoſitionum Homogenearum, (id-eſt, ad unum aliquem ſcopum pertinentium) juxta naturæ ordinem diſpoſitio.

a Ad perfectam igitur Methodum tria requiruntur.

1. Ut nihil Homogeneum (ſive ad ſcopum propoſitum pertinens & neceſſariò requiſitum) deſit.

2. Ut nihil Heterogeneum, aut impertinens admiſceatur.

3. Ut omnia diſponantur juxta Ordinem naturæ.

Cùm autem Ordo nihil aliud ſit, niſi ratio Prioris & Poſterioris: ideo etiam Ordo naturæ eſt, ut id quod prius & notius naturâ eſt, præcedat; quod poſterius eſt, ſequatur.

b Illud verò naturâ prius & notius eſt, quod poteſt eſſe & concipi ſine poſteriore. Poſterius eſt, quod non poteſt eſſe aut concipi ſine priore.

c Hinc, quò aliquid generalius ſive univerſalius eſt, eò prius & notius eſt naturâ, adeoque priore loco diſponendum; inde ad ſpecialiora gradatim deſcendendum.

Una-

Unaquæque igitur res, primò in genere proponenda, explicanda, & definienda est, ejusque generales Affectiones tradendæ: eadem postea in suas partes distribuenda est.

d In distributionibus præcedat Partitio Integri in membra: Sequatur Divisio Generis in species.

Singulæ autem Partes (sive Membra sive Species) eodem ordine tractentur, quo propositæ fuerunt.

e Si partes propositæ longiusculæ fuerint: adhibendæ sunt Transitiones. Quæ doceant, 1. Quid dictum sit. 2 Quid restet dicendum. Quorum alterutrum aliquando brevitatis causâ omitti potest. Et utraque magis necessaria sunt ad reficiendum Auditorum memoriam atque attentionem, cùm res agitur vivâ voce, adeò ut aliquid Auditores fugere possit, quàm cùm in scriptis ante oculos extat, & recognosci à lectoribus potest.

Hæc, quam diximus, naturalis ac perfecta Methodus est: Quâ utendum, cùm Auditor vel Lector simpliciter docendus est, præsertim in tradendis Artibus & Scientiis. Quam ipsam & nos in hac nostrâ Summulâ Dialecticæ, si minus assecuti, secuti saltem sumus.

f Quoties autem non simpliciter docendus, sed delectandus aut aliquo modo movendus est Auditor Lectorve: variæ adhiberi possunt Crypses, sive occultationes naturalis Methodi, prout commodum videbitur; *viz.*

1. In defectu; Homogenea quædam omittendo, aut breviter tantùm perstringendo.

2. In Excessu; Heterogenea quædam admiscendo, ut in Digressionibus; aut Homogenea quædam identidem repetendo, iisve diutiùs insistendo, ut in Commorationibus.

3. In

3. In Transpositione, naturalem ordinem turbando.

Hæc appellatur Methodus Prudentiæ: illa prior Methodus Naturæ. Illa rei, hæc Agentis. Illa artis, hæc Artificis.

Versiculi.

a *Perfectâ in Methodo nil desit, nilque supersit,*
Ordine Naturæ ponantur singula Membra.
b *Naturâ prius est, quod per se stare valebit.*
Posterius verò quod totum pendet ab illo.
c *Præcedat generale igitur, speciale sequatur.*
d *Et cùm distribuis, partire in membra priùs, post*
Dividito in species: Et Proposita ordine tracta.
e *Partibus in longis adhibeto Transitiones:*
Quæ doceant, quid jam dictum sit, quidque sequatur.
f *Hic etiam triplicem observet Prudentia Crypsin.*

Versiculi in Libro Secundo.

Caput.	Numerus.
1	8
2	18
3	16
4	8
5	10
6	10
7	4
8	5
9	22
10	17
11	9
12	5
13	7
14	4
15	13
16	8
17	9
18	8
19	3
20	8
21	15
22	1
23	1
24	1
25	3
26	7
27	10
28	31
29	3
30	5
31	2
32	4
33	8
34	5
35	3
36	6
37	10
38	3
39	5
40	5
41	6
42	5
43	6
44	28
45	8
46	10
	383

FINIS.